



Animadversiones apologeticae in primam Grotianae Pietatis partem, quibus innocentia D. Sibrandi vindicatur

<https://hdl.handle.net/1874/18760>

Animadversiones

APOLOGETICÆ

in primam Grotianæ

PIETATIS

partem quibus innocentia

D. SIBRANDI
vindicatur.

AUTORE

MATTHIA DAMIO.



WB 570
FRANCKERAE,
Ex officina Ioannis Lamrinck, Ordinum
Frisiæ & eorundem Academiae Typographi.

Anno 1618.



*Pro veritate omnia possumus.
Contra mendacium omnia debemus.*



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



PIETAS
ORDINUM
VINDICATA.

GROTIUS.



MO Vorstius potius, & magistratus non pietas sed autoritas: ut sic statim in lumine suspicionem incurras, vel blandientis pro quibus, vel decipientis quibus iste tuus liber scribitur; cum speciosâ magis quàm verâ veste decoretur; nec quod titulus foris promittit, intus opus exhibeat.

GROTIUS. *Si intra Conradi Vorstij oppugnationem stetit, nihil nobis erat in illa arena negotij.*

Mirum ergo, quin suspectum, arenam illam te ingressum in qua negotii fuisse nihil fateris ipse; cum tam seriò & tanto verborum flumine, non minùs Vorstium quam magistratum defendas; neutrum sane piè, cum oppugnetur alter ob hæresin, alter ne oppugnetur quidem. *Sed sine Vorstio iniques Ordinum pietas defendi non potuit: quod verum si est, figmentum erit tuum, cum infra dicis, non Ordines propter Vorstium, sed propter Ordines Vorstium accusari.*

GROTIUS. *Qui libertatem prophetias ubique exagitat.*
Si recte cur reprehenditur: sin iniq; cur à te non defenditur?
A 2 licet

licet ignorem quid libertas prophetias tibi significet: nec enim puto velle te, quod videris tamen, unicuique jus fas esse, sacra docendi & quævis, tam ficta, quam vera.

GROTIUS. *Specie prophetias, ausus est rem Apostolo vetitam*

Κυριότηλα ἀθελεῖν.

Dixisses potius rem Deo vetitam, quod crimen exaggerat. dictum enim est, non ab Apostolo, sed Deo, *principi populi tui non maledices.*

GROTIUS. *Mirum videri non debet civium unum inventum.*

Imo mirum videri debet, unum inventum esse qui Ordinum sublimitatem oppugnaret, & hunc talem, qui non nesciat esse *θεομαχῆν* potestati resistere, quin hoc mirum magis, unum te inventum, qui, sublimitas illa Ordinum ne corruat, humeros tanquam hercules aliquis supponeret, quod omnes, qualescunque illi, si non scripto saltem voto & facto, modo cives boni audire velint, facere debent. Licet omnium maxime sit mirum, ipsam Ordinum sublimitatem crimen hoc, si verum est, non vindicare, non calamo sed culeo, hoc enim jure merito potest. quod cum non faciat aut fecerit, tibi ipsi vel calumniatoris notam inuris, si nemo talis, quin hoc facto alios doces *Κυριότηλα ἀθελεῖν*. vel ipsi Ordinum sublimitati, negligentia, si cui impune sit *δόξας βλασφημῆν*.

GROTIUS. *Cuius proprium munus sit, iura ac sublimitatem Ordinum tueri.*

Tanquam futor ergo ultra crepidam facis, cum Pietatem Ordinum defendendā suscipis. Nec enim tibi idem esse cum sublimitate Pietatem credo, aut & hoc tui muneris esse: aut si est, multum sane tibi tribuit Ordinum sublimitas, quod te *ὑπερασπίσῃ* sibi delegerit, sub cujus calamo potius quam clypeo facta tecta maneat: aut si non est, ipse tibi, cum oppugnandum frustra credis quem tu defendendum susceperis.

GROTIUS. *Qui iniuriam optimis rectoribus illatam patienter ferre non posset,*

Imo nec

Imo nec deberet, non solum optimis, sed bonis etiam, imo malis rectoribus: nec tu modo cujus hæ sunt partes, sed quilibet sub sublimitate positus civis. Hinc autem Ordinum non Pietatem sed injuriam te vindicare colligo, ut certum sit, Pietatis titulum inscribi ad fraudem potius quam veritatem.

GROTIUS. *Laesa piorum patria parentum existimatione, vocem extorqueri posse.*

Periculum ergo fuerit magnum necesse est, si tibi non jam munus sed amor erga pios patriæ parentes, tanquam muro, scriptum illud tuum ut vocem extorsit: quod vix credat qui quem facis hostem considerat. Nec enim solum non tollit Ordinum sublimitatem, sed nec verbo lædit: nisi tibi forte est lædere existimationem, non plus quam oportet deferre. Quin nec vocem tantum, sed iram etiam extorquere debet, non illam quidem quæ impatientiæ est sed quæ zeli; quam nusquam melius ostendit civis, quam cum sublimitatis hostes non odit modo sed punit.

GROTIUS. *Nibil erat securius, quam loquendi libertatem in ea tempora servare.*

An fortasse in hoc Ecclesiæ æstu loqui liberum non est aut scribere? quin non loquendum sed clamandum potius contra sublimitatis hostes si qui sunt, vel in maximo Ecclesiæ æstu. Oppressa enim Ecclesia, & sublimitate rejecta, quid restat aliud quam rerum omnium everfio: nec remedium curato aut lenito, sed sæviente morbo adhibendum.

GROTIUS. *Sed palam vulneratum nomen & famam confessus amplissimi, dissimulare non licet.*

Et quis tantus hostis hoc qui possit, aut malus qui velit? petierit aliquis confessus amplissimi famam calumniando, sed tetigisse aut tangendo vulnerasse non credo. Hanc enim ego amplissimi confessus, nostri apud omnes omnium hominum Ordines, famam esse judico, ut vel ipsa infamia si velit, non dicam vulnerare, sed ne tantillum lædere possit. Neque hoc, si

faciam, dissimulandum tantum civi, sed confessui amplissimo
hic talis puniendus, non vulnere sed morte. cujus enim fa-
mam non defamet, qui confessui amplissimo non parcat?

GROTIUS. *Ipsa salus publica labascit, ubi magistratus concuti-
tur auctoritas.*

Nec minus cum Ecclesiæ: quam utinam non unus tu sed
omnes vindicent. Hac enim concussa, ne dicam everfa, non
omnium modo, sed & singulorum, non labascit sed vere
salus perit.

GROTIUS. *Crimen atrox defert Sibrandus.*

Sane atrox si vera defert; nec minus atrox committit si falsa.
Hæresi enim ut atrocius excogitari potest nihil, quæ & Deum
suo honore, & hominem salute privat, nec vulnerat sed oc-
cidit: sic atrocius quoque committi potest nihil, quam tanti
sceleris reos facere hos tales, qui in hoc à Deo dati, non ut
hæresin inducant aut promoveant, sed impediunt & elimi-
nent: hoc pœnam requirit, illud pœnitentiam.

GROTIUS. *Hæresin ad cuius mentionem pij omnes exhorrent,
invehi in Ecclesiam clamat Sibrandus.*

Ecclesiæ ergo aut periculum demonstrat & pium zelum
quod clamat, si verum, ut videtur; cum talis non admittitur
modo, sed unde venit non remittitur, qui jam non voce sed
scripto, non tectè sed aperrè, hæresim antiè non audita mon-
stra credit & docet: aut delirat si fictum.

GROTIUS. *Hæresis quid aliud quam pestis, quam venenum Ec-
clesia presentissimum.*

Hoc si ut dicis ita credis, quid hæresi infectos laudas quid de-
fendis? non Pietas hoc facit sed iniquitas. *Sed infectos hæresi
negabis esse quos laudas; hæresios tamen suspectos negare non
poteris; & hos non modo fugies, non fugabis? peste corporis
non infectum sed suspectum etiam scio horrebis, vitabis,
quin domo eliminabis: & fidei pestes & salutis non merues,
non fugies, imo fugandos non suadebis? serio hic claman-
dum, si*

dum, si non ex officio muneris saltē caritatis, vita, fugi,
tolle.

GROTIUS. *Imo eam nominat, qua peiorem aliam reperire non
potuit.*

Hoc tibi bilem movit? quid si infimæ noxæ hæresin nomi-
naret, sileres? levis noxa Ecclesiæ aut fidei te non tangit? pe-
stis sane qualiscunque etiam hominem tollit, nec minus
hæresis animam lædit & fidem: quam non magis reperisse
dicere potes quem oppugnas, quam te *Κυριότερα ἀθελεῖν*, cum
qui hoc faciunt damnas. Nec enim is, sed quem defendis,
repperit, ille redarguit.

GROTIUS. *Quanto in Christum contumeliosior. Samosatenus
Ario.*

Tuo sane iudicio contumeliosior in Christum Samosatenus
Ario, an veritatis dubito. Hic creaturam facit, ille Deum esse
negat: unum portentum duo nomina, mutavit vocabulum,
sed perfidiam non mutavit. An Christus ab utroque non tol-
litur, cum verus Deus esse negatur? nec minus Samosateno
negat Ario *Θεὸς ἦν ὁ λόγος*, cum non Deum, sed à Deo factum
esse dicit: & *δόξαν ἦν εἶχε παρὰ τῷ πατρὶ*, non ratione loci sed es-
sentia, cum alterius essentia esse dicit filium quam patrem:
& *ἐν μορφῇ θεῶ* fuisse, non specie sed natura. Imo ego nocen-
tiorum multo fuisse Samosateno Arium credo, cum hic hæ-
resin invenerit, ille mutavit.

GROTIUS. *Tanto crimini destinat reos, quosdam primum, inde
turatores, postremo Ordines.*

Neuter sine scelere facit. aut tu, qui Sibrandum tanti crimi-
nis reum agis, aut Sibrandus qui Ordines, si vera non sunt.
Nolim interim putes, ut tu *Vorslium* sic me Sibrandum de-
fendere, veritatem vindico non hominem, ipse vivit & viget:
illam in verbis tuis desidero nec invenio. *In Ordines præcipue
Sibrandum incurrere dicis*, nec verba quibus hoc dicat osten-
dis. Male Pietas defenditur ubi veritas negligitur. age verba
sua con-

tua consideremus. *hæresin hanc, scilicet Samosatēnianam, in-*
vehit in Ecclesiam clamat Sibrandus; hoc loco & verbis citatis
probas. ait enim, dicis, esse quosdam in eo, ut hoc perficiant atque
alenda pesti manum porrigant: pergis & quæris, tanto ergo cri-
mini reos quos destinat? tres enumeras, quosdam, curatores, &
Ordines Hollandiæ. de Ordinibus & Curatoribus verba cur
non citas qui de primis citasti? vis forte non verbis totidem
sed consequenter hoc dictum, ut qui quosdam nominat,
etiam Ordines indicet & Curatores. hoc si vis, duplicem ha-
beat necesse est vox quidam significationem, particularem
unam, ut significet eos qui hoc in numero primi ponuntur
in quos Sibrandus incurrit: & generalem aliam, ut etiam
comprehendat in hoc numero secundos, & tertios, id est,
Curatores & Ordines: quod delirare esset non concludere.
Quam vis nec sic quod vis persuadebis; quis enim Ordines
nominasse Sibrandum credat, qui quosdā illos, quod fateris
ipse, non nominavit. Bilis ergo tua potius plena est oratio,
qui sic irreverenter criminariis quem reum esse non probas.

GROTIUS. *Hi omnes, si vera sunt quæ Sibrandus dicit, iram*
Dei, & odium Christiani orbis non deprecantur.

In vicem crede, nec Sibrandum pioſque omnes si quæ dicis
vera sunt, pœnam deprecari: & te, non Christiani modo, sed
totius orbis odium merito incurrere; si quod dicis non fa-
ctum sed fictum, nec Pietatis vindicem sed iniquitatis.

GROTIUS. *Quam non sit ferendum ejus dignitatis nomina*
tam petulanter laceſſi.

Nec hoc ferendum, tam petulanter reum agere te quem-
quam nec crimen probare: & injuste pœnam concludere nec
culpam evincere. accusas nec probas, damnas nec convincis.
hoc est laceſſere si non dignitatis nomina, saltem æquitatis.

GROTIUS. *Cum infimi cujusque læsam existimationem, tam*
severe vindicent juris auctores.

Et læsam Ordinum existimationem juris patroni non vindicant,

cabunt? sed non vindicant; aut ergo laesa Ordinum exultatio non est, & sic tu calumniae reus: aut si laesa & negligunt, patroni erunt non juris sed iniquitatis, aut legū negligentes.

GROTIUS. *Vbi nunc lex Rhemmia.*

Quid cum Rhemmia lege Pietatis vindici? nisi Apostolus aliquis aut propheta tibi sit Rhemmius. Quasi divina lex non sit quae tales puniendos statuat, aut non satis severe puniat; ut Rhemmius, nescio quis, sit advocandus.

GROTIUS. *Curatores Academiae Lugdunensis sunt viri duo.*

Otiij tibi à rebus serijs tantum fuisse miror, cum eos tantis verborum ampullis laudas quos nemo vituperat. Quod tamen non tam ut hos tantos viros extollas, quam ut Sibrando invidiam concilies à te factum puto. Sed quantum dicendo exultas, tantum quod vis probando deficis, scilicet hos quos enumeras omnes; iniquè à Sibrando hæresios affines dicis; non quod hæresios eos quis arguat, sed quod tu ab hæresi liberos male probes. Quæ enim adfers verisimilia esse possunt, vera & certa nequaquam. Quid enim, an homines non sunt? an decipi, à veritate excidere non possunt? si quis à fide, à sanctitate, ut hodie Neopapistæ; docent, cum quibus & tu ut reor sentis, excidere potest; an hi tales, qui talia, & tanta quanta verbose enumeras fecerunt & passi sunt, soli à veritate deficere, & in hæresin labi non poterunt. Vbi interim vel constantiam tuam requiro vel memoriam: tribus enim quos supra enumerasti in quos Sibrandus irreverenter incurrit, hic quartum addis, *Rectores scilicet urbis Lugdunensis*. Numero forte vis vincere non pondere; quamvis ponderis sit satis in solis Ordinibus. veritate & constantia vindicatur Pietas non levitate.

GROTIUS. *Hi sunt quos ut socinianismi fautores traducit Sibrandus.*

Factum hoc esse à Sibrando cum tam male probes, nec enim verba nec locum adducis, traducere te Sibrandum potius cre-

det, qui nisi certa credit: & te, si non decipere, odium saltem & iram Ordinum Sibrando conciliare, nullam ob causam aliam, nisi quod Socinianismum execretur, & affinem Harminianismum, cui forte subscribis, horreat.

GROTIUS. *Et his ista in os audeat dicere doctor umbraticus.*

Os & frontem non habet audaculus iste non in umbra solum sed sole etiam hoc si factum, aut tu, si, ut puto, fictum. Qui si non umbraticus, lymphaticus sane videris, cum bilem sic evomis. Ferendo non furendo vindicatur Pietas.

GROTIUS. *Antequam ad temeraria accusationis argumenta veniam.*

Temeraria sane accusatio non Sibrandi sed tua, qui ad argumenta descendis, & accusationem esse factam non probas. Nec enim ut umbraticum, sic & delirum credo vocabis doctorem; quod erit si accusationis argumenta ponit, & accusationem esse factam negat. Fingas itaque ut accusationem sic & argumenta licet; ut sublimitas Ordinum vel hic intelligat, quam fortem habeat ὑπερασπίην, qui sic tela conficta non evitet modo sed retundat.

GROTIUS. *Illud primum considerari velim.*

Velim & ego, cum aut prudentiam hoc arguat in te singularem, quod antequam ad certamen descendis, imaginarium licet, sic te instruis, ut hostis non rejiciatur modo sed prosternatur: aut metum, qui hostem licet umbraticum sine tantis apparatus vinci posse diffidis.

GROTIUS. *Electus sit vir reverendissimus ad quem hac quærela deferretur.*

Itane subito ex crimine fit quærela? & nunc quærelam ad reverendissimum defert Sibrandus, qui crimen ante paulo intentabat Ordinibus? lenitas hæc tam subita unde nisi à levitate aut conscientia, quam hic ostendis non innocentiam; cum te non leviter urit, quod ad Archiepiscopum quærelam defert Sibrandus. Si enim justa est, cur ad Pietatis & veritatis præfulem

præsulem non deferatur, non in Angliam modo, sed ad orbis fines: non quidem ut de Ordinibus quidquam statuatur ut iudex, neque enim ipse volet, nec posse probe novit: sed ut iuste querentibus aut condoleat aut consulat. Si iniusta, habes quod gaudeas, redarguet enim una tecum & damnabit Sibrandum iustitiæ præsul & Pietatis.

GROTIUS. *Vide quid ostendat.*

Lijnceus sane es qui tam acutum cernis, ut etiam mentem Sibrandi cognoscas tuam ignores. Infra paulo Sibrandum exagitas, quod causam hanc ad præsulem tanquam ad iudicem detulerit: hic præsul ut condoleat non ut iudicet factum esse fateris. mentem sane non habes qui teipsum sic redarguis.

GROTIUS. *Sed adeo nemo apud nos erat quem moveret Status Ecclesiæ?*

Acumen ostendis sed vitreum cum sic concludis. Quia causa hæc trans mare ad præsulem fertur nemo apud nos est, quem status Ecclesiæ moveat. Quin scias apud nos esse etiam plurimos, quos non leviter afficit Ecclesiæ status nimis hodie pro dolor turbatus: nec pauciores qui hæreses tam novas, quam renovatas horreant. Sunt & hic quibus Pietas cordi est & sancta religio, & qui vitam prius quam fidem deferant: nec quia hic nullos tales sed quia & alibi tales esse putat Sibrandus, ad illos causam fert, non qui iudicent aut vindicent, sed qui condoleant aut consulant. *Sed oneratur inquis amplissima regionis & publicis præterea regni negotijs quotidie occupatus Antistes, hac ad ipsum delata quærela.* Sollicitudinem quam habes de Antistite nimiam quæso deponc. qui enim se tantis regni curis parem ostendit, huic quærelæ audiendæ non succumbet: nisi forte apud te conquestus sit hanc se ferre non posse. Curam hanc Ecclesiæ si impenderes & sollicitudinem, quos nunc defendis oppugnares potius quam laudares.

GROTIUS. *Non ita felix fuit Britannia, ut non & ipsa aut opinio-
nium aut rituum fluctuaret dissidio.*

Ita felix tamen fuit Britannia, ut opinionibus aut ritibus non turbaretur Ecclesia: quod malum nostræ Ecclesiæ minantur non opiniones aut ritus sed hæreses, tam novæ quam renovatæ, ni malum averruncet Deus & Pietatis Ordinum zelus.

GROTIUS. *Sed cuius unquam causa cognitio extra regnum ablegata est.*

Si specialiter Britannicæ causas intelligis nihil concludis, nulla enim, quod te schola docere potuit, à particulari ad universale negative est consequentia. Neque hic ulla causa extra regnum ablegata est ut judicetur, sicut, vis, sed ut cognoscatur: illud vetitum hoc usitatum. Nec ἀγγλιστικῶς introducitur hoc qui facit, sed μισοὐθροπικῶς hoc qui faciendum negat: quin & amicitiae foedera non inter privatos modò sed principes excludit, qui extra regnum significari vult nihil, aut cognosci nihil. nã tu hoc frustra velis, nam quod non faciet Epistola, fabula faciet & fama.

GROTIUS. *Meminerunt scilicet Britanni, quid Africani patres statuerint de transmarinis appellationibus.*

Qui committere non vis, quod infra paulo ais, ut legitima cognitioni qua de Vorstio haberi cæpta est necdumque finita, quidquam præjudices: cur præjudicio tam manifesto condemnas de quo ne cæpta quidem est cognitio? judicatum enim jam oportuit qui appellationem instituit; quod tu qui jus tractas, non nescis. Hoc non est Pietatem defendere sed iram & odium ostendere, cum ira leviter alterum condemnas, qui iudicio ne statuitur quidem; alterum populi voce damnatum, absolvis potius quam damnas. Mire interim levis sis oportet, qui quod crimen ante, post paulo querelam, nunc appellationem facis.

GROTIUS. *Quas etiam Ecclesiastica communione damno puniendas censuere.*

Aut quid

Aut quid scribas ignoras cum Africanæ Ecclesiæ exemplo pugnans, aut ira percitus scribis cum ad Sibrandi factum applicas. Africani paucos Episcopos iudicio Ecclesiastico, non magistratus aut politico damnatos, & officio motos, trans mare ad Episcopum Romanum appellare vetant, non in Italiam scribere prohibent: hoc ipsi faciunt, illud damnant. Quod quid cum Sibrandi facto habet commune? putasti forte Ecclesiæ etiam iudicio damnatum & officio motum Sibrandum, qui suo damnatus iam est; quod Vorstianus aut Harminianus esse non vult, ut ad Archiepiscopum trans mare appellandum illi sit. Scias interim hoc exemplo communicatione Ecclesiæ excludere te, Constantinum Magnum & Militiadem Romanum Episcopum, illum quod iusserit, hunc quod admiserit, ut Cecilianus Carthaginensis Episcopus Romam eat & veniat, ibique se de objectis criminibus purget: si enim appellare non licet, multo minus iudicari trans mare licet.

GROTIUS. *Quod si qua necessitas externa sapientia consilia deposceret, debere hoc non privati sed publici esse arbitrij.*

Recte quod ad te redeas, appellare trans mare vetitum, consilium trans mare petere licitum. Hoc fecisse Sibrandum crede, illud facturum nunquam puta. Quod nisi publice licere quæ lex statuit? aut privatim vetitum esse quæ decrevit? publici arbitrij quod est publicum deposcit consilium, privati privatam. nec hinc *ἀναλασσοία*, sed hinc potius cum turbatur Ecclesia aut opprimitur.

GROTIUS. *Hoc ita cum se habeant.*

Male scilicet, cum sint aut non vera aut ad rem faciant nihil, intelligi facile potest te calide magis facere quam pie, cum præter omnem culpam Sibrandum criminaris; qui nec ullam causam apud alios cognosci voluit ut iudicaretur, aut Potestati unquam resisterit.

GROTIUS. *Scilicet verum est quod ille dicebat.*

Sed verum non est quod tu dicis; quasi Sibrandus voluerit unquam Ordines nostros, in quos præcipue incurrere fingis, causam alicubi dicere, quos non nesciat superiorem præter Deum agnoscere neminem.

GROTIUS. *Hic sane quasi Socinianismi fabula obrudi nemini poterat.*

Non quæritur Sibrando Socinianismus sed damnatur, nec fabula est sed hæresis. levitas est sic *ἑπιφανεύειν* non Pietas, Vide ne quod tibi fabula est fiat veritas, & quod rides incurras. Et hic homines sumus non minus quam alibi, quos non fabula infecit sed Socini hæresis.

GROTIUS. *Inveniendus fuit qui proceres nostros haud aequè nosset.*

Hunc quis nisi delirus in Britannia quærat, & hoc inter magnates. Quos India novit, Anglia ignorabit? næ tu iniquus es in proceres nostros, simul & Antistitem: illos quod obscuros nimis, hunc quod rerum imperitum facis, addo & levem, ut qui se suspicionum levè aura huc illuc ferri patiatur.

GROTIUS. *Eius animus ita occupandus erat atrocitate suspicionum, ut nondum audita defensio iam invisæ esset.*

Nunquam ego umbraticū illum doctorem dixerim, qui unâ scriptâ aut alterâ Epistolâ, præfulis tanti animum ita evincere potuit, ut nec Ordinum autoritas, & tanta in rebus prudentia plus posset: nec ita levem Antistitem, ut suspicionibus iisque atrocibus non veritate tam facile caperetur, ut etiam justam Ordinum defensionem admittendam non existimaret. Omitto quod nimis, quos tamen rueri vis, Ordines nostros dejicis & viles facis, ut apud præfulem non ipsum Regem causam defendendam putent.

GROTIUS. *Sed ne huic quidem conatus, astuto licet & improbo, responsuros eventus spondens sibi.*

Hoc si & tibi spondes, habes quod gaudeas non tantoperè crucies; ut etiam hoc ante considerandum putares, quam ad **temerariæ**

tentetariae accusationis argumenta venires; quod ad Antistitem talem querela sit delata: qui dubio procul Sibrandum damnabit non probabit. Cujus conatum stultum potius quam improbum dixerim, qui ad hunc talem causam defert, quem habiturus sit, si tibi credendum, judicem non patronum. Interim si ut loqueris ita spiras, bilem intus fervere non Pietatem video.

GROTIUS. *Præsertim cum mater veritatis dies, non permissura sit longum fraudibus regnum.*

Nescius ~~ωεφφίτων~~, patent enim jam recte ante hæresium fraudes; vident nunc omnes quod ante vix unus oculatus etiam animadverterat: & hoc Sibrandi non tam genio quam studio. quem cum tam infeste oppugnas, vide ne non tam Pietatem quam fraudium regnum vindices.

GROTIUS. *Maximam Ordinibus invidiam conflaturum speravit ex causa Vorstiana.*

Imo ego te maximam apud Ordines aucupatum puto gratiam ex causa Vorstiana, pro illo enim scribens tuam causam agis, cum sic ingenij nervos omnes intenderis in defensionem, ut ipse Vorstius vel causam suam acrius defendere non posset, aut defensionem vellet. Maxima quoque hæc causa sit oportet, & maximus aut Sibrando Vorstius, quod non puto, si Ordinibus ut noceat Vorstium prius petat: aut tibi: qui supra Ordines ponis Vorstium, quem nisi ob hæresium ante non audita deliria nulli notum, invidiæ causam Ordinibus esse posse credis.

GROTIUS. *Ego Vorstium defendendum non suscepi.*

Credo non gladio sed calamo: nec enim scripti hujus parte prima Sibrandus oppugnatur acrius quam Vorstius defenditur: ut sic aut frontem non habeas hoc cum dicis, aut mentem nos habere non putes: aut laudas aut defendis, neutrum Pietatis patrono faciendum quod sine impietate fieri non potest.

GROTIUS.

GROTIUS. *Non committam, ut cognitioni qua de Vorstio haberi
capta est quidquam præiudicem.*

Recte facis, patronus enim Vorstio cum sis causam ejus damnare non potes aut debes. Quod tamen moderatum, non facit, quod in te est, iudicium aut Pietas, sed vel favor aut consensus. Nec enim tam superbe præiudicio Sibrandum damnare & acerbe, si Pietas faceret hoc aut lenitas, de quo tamen nulla haberi coepta cognitio: ut verissimum sit, te non Pietatem vindicare sed Vorstium, & titulo frontis non respondere argumentum operis.

GROTIUS. *Sed hoc primum considerari velim.*

Speculativus nimis es, qui semper prima consideras & posteriora negligis. Sic enim & supra paulo primum aliquid considerasti, nec ad argumenta temeraria accusationis venisti: hic cum primum consideraris, quid postremo considerabis nescio. Furor iraque si non mentem memoriam saltem, non præcipitant sed impediunt.

GROTIUS. *Non agit professorem Vorstius.*

Utinam nec scriptorem ageret, plus enim nocet litera quam lingua, & quod scribitur hæret magis quam quod dicitur. Iuventutem non docet, & senes decipit. Nec defendit hoc Vorstium sed damnat, lateat enim anguis necesse est ut vocatus ad professionem professorem non agat tamen, juventutem publice ut instruat, nec doceat.

GROTIUS. *Quid attinet tranquillum satis negotium toties exagitare.*

Næ tu cæcus es qui hoc negotium putas, quod professorem non agat Vorstius, juventutem non doceat, in fulgore nullo versetur. Negotium enim quis exagitavit tranquillum cum Vorstius his locis non esset, quando professorem non agebat, non docebat. sit professor sane, juventutem doceat, in fulgore etiam maximo versetur, modo ne in hac patria nostra, & nullum, spondeo, ipsius causa agitabitur negotium.

Hoc, si

Hoc, si nescis, negotium est, quod iudicio jam fere publico hæresin blasphemam sapit & docet: quam si patria elimines cum homine, nullum erit negotium.

GROTIUS. *Nisi non propter Vorstium Ordines accusantur, sed propter Ordines Vorstius.*

Tui oblitus sis oportet, nec mirum, agitat enim te genius Vorstianus: qui supra paulo Sibrandini in Ordines odij Vorstium causam esse putasti, hic quomodo propter Ordines Vorstium accusari dicis? qui ob hæresin non Ordines accusatur & damnatur. Horum cum te patronum facias, propter Ordines Vorstium, an propter Vorstium Ordines defendas nescio. Quorum Pietatem male vindicas quos sic cum impio socias, ut qui Vorstium petat, Ordines prius feriat. Aut divum aliquem habes Vorstium, in quem incurrere directe nemo audeat.

GROTIUS. *Multo ante advocatum Vorstium Sibrando alijsque motam fuisse bilem.*

Hinc ne sequitur propter Ordines Vorstium accusari & non ipsum se? hoc si vis nihil concludis. Cur enim bilis non moveatur etiam post vocatum Vorstium, cui ante mota? nec bilem sed iram zeli Sibrando movit, non Vorstij vocatio sed vocati Vorstij hæresis: quam cum homine ut execratur, sic patria eliminatam velit & optat.

GROTIUS. *Quod Ordines non paterentur ejici Ecclesijs Pastores.*

Recte pro uno duos Sibrando hostes opponis, didiceras enim jam in scholis ne Herculem adversus duos quid posse; pro Vorstio Ordines objicis & Pastores. Quod non tam astute à te factum puto quam mericulose: Vorstium enim Sibrando longe imparem videns, ut duello subtraheres & periculo, Ordines cum ministris substituísti quos superiores fore non dubitasti. Nec enim Sibrandum ut deciperes pro corpore umbram, Iunonis virgilianæ in morem, sed ut prosterneres pro

umbra corpus, & hoc nervosum opposuisti. Sed esto, Ordibus irascitur Sibrandus non Vorstio, qua de causa? quod ejici Ecclesiis non patiuntur Pastores. Ejecerit ergo Sibrandus aliquem, aut Synodus, secundum veterem Ecclesiæ morem, si quem ejici Ordines noluerint? aut hoc ut fieret ab Ordinibus, secundum novum morem, petierit necesse? sed ipse negat non dicto solum sed & scripto, tu nec dicto probas nec scripto: ut fidem merito tuam hic desideret, qui veritatem non verba quærit: maxime cum causam quam ponis considerat, quod scilicet *Sibrandina de prædestinatione sententia non subscriberent*. Levis sane causa, ut impudens nimis sit vel Sibrandus si verum, vel tu si, ut puto, fallum. Christi sententiæ si dixisses aut Pauli, porius hoc factum esse persuaderes: pondus enim hoc habet & fidem; hoc quod dicis, levius est quam ut aliquem moveat: quid tamen hoc figmento obtendas penitius consideranti obscurum esse nequit: velle scilicet te & tecum forte plures, ut Ordines Ecclesiæ ejiciant eos omnes Pastores, qui Harminianæ non de prædestinatione solum sed & alijs articulis sententiæ contradicunt aut subscribere nolunt, hoc enim & facta probant.

GROTIUS. *Et qui assererent ius suum magistratui in gubernanda Ecclesia.*

Altera Sibrandina bilis causa, pro iore nihilo ponderosior aut. Verior, quæ aperte magistratui hostem facit Sibrandum, ut Sibrandus Pastores: huic, cui proprium jus adimit, hos qui magistratui jus ademptum asserunt: nec enim asseritur quod ante non tollitur. Ademisse autem Sibrandum magistratui jus in gubernanda Ecclesia quod habet, quis nisi vanus credat. Cum non verbis solum, sed & scriptis, quam tu melius id vindicet: qui ut falso Pietatis Ordinum vindicem te in fronte libri inscribis, cum injuria illatam vindicare fatearis ipse, sic superbe nimis, aut non vere, te unum civium inventum supra jactas, qui jura & auctoritatem magistratus assereret, quod

ret, quod hic tamen ante te alios & plures jam fecisse asseris.

GROTIUS. *Hi sunt quos idem hic Sibrandus iam pridem perfidos appellavit.*

Pastores credo intelligis, his enim cur parcat magis quam Ordinibus: quod ne verum quis esse dubitet, verba citas & locum. Verum ut levitatis est sine teste aliquid asserere aut probamine, sic est sceleris, testem qui nullus est fingere, ipsum in primis cum quo controvertitur? hoc enim præter mendacium calumniam etiam habet, quæ quanto sit gravior scire te qui jura non nescis, credo. Cujus sceleris ut culpam effugas nunquam efficies, si ostendero ficta esse à te potius quam à Sibrando dicta, quæ hoc in loco tum in Pastores, tum, quod crimen in primis exaggerat, in Ordines criminosa enumeras: hoc ut faciam age singula verba consideremus, quæ caractere à tuis distincto, ut Sibrandi esse non tua significes, describis. Ais ergo, *Idem hic Sibrandus*, ne erret in homine lector & alium pro alio culpet, ita exactus es, *iam pridem*, ut nuperum hoc aut novum illi non esse doceas, *appellavit* quod audaciæ est majoris, non designavit, ut Ordines, *in egregia illa epistola*, quam edito à se Socino præposuit *Epistola*, ut credat verum esse qui legit, *Pastores qui Sibrandina de predestinatione sententia subscribere nolunt, & magistratui ius suum asserunt*, hos inquam, appellavit *perfidos, calumniatores, aula insidias, novos nostri temporis Eusebios*. Crimina hæc sunt quot nomina, & si vera punienda, si non vera calumnia est, & hæc punienda, vel Sibrandi si dicta, vel tua si ficta, quod verius. Primum enim Pastorum præterquam orthodoxorum citato loco nulla fit mentio, ut certum sit quos tu describis Pastores, qui suo nomine Harminiani ne dicam Vorstiani dicantur, ut designarit, hoc enim concedo libens, appellasse tamen nunquam: quod ut constet, ipsa Sibrandi verba transcribam, qui sic incipit cum Pastores non appellat sed designat. *Sunt etiam arrogantes & superbi homines, qui sibi laudabile fore putant si quid in*

Theologia innovare possunt, qui laudis & gloria cupidi omnia perturbant ut innorescant, qui indignantur sibi doctos viros praeferrī, qui se ad malas artes convertunt & aula se insinuant, ut quos virtute non possunt aulicorum ope opprimant. Quae orthodoxam religionem simulant, in Catecheses & confessiones iurant, & tamen sanam & receptam doctrinam oppugnant. pravam & novam suis discipulis inculcant, orthodoxos Pastores per calumniam differunt, civiles magistratus in illos concitant, sedibus suis pellunt, & in illorum locum errorum suorum alumnos substitunt. Hi omnes, orthodoxos doctores oderunt, illos ut Ecclesiarum & rerum publicarum perturbatores ubique calumniantur, quae scelera ipsi Ecclesia hostes perpetrant, orthodoxis Pastoribus impugnant, perturbant orbem terrarum, concitant populum, omnia seditionibus miscunt, & orthodoxos Pastores de perturbato orbe, concitata plebe & seditionibus accusant. In his verbis ubi Pastorum praeterquam orthodoxorum nomen? quod sit oportet si appellavit. Sed pergo, hos inquit vocavit perfidos, ne quidem hoc nomen est. Sed res est inquit si non nomen, cum iurare in Catecheses dicit & confessiones, & tamen receptam doctrinam oppugnare, quod sine perfidia fieri non potest. Sed rem esse tantum significare si velles & non ipsum etiam nomen tuis verbis id diceres & literis non alienis: distinctus enim character, ut aliena, sic eadem ipsa esse verba designat. De altero idem si replices, quod scilicet etsi non nomine re tamen calumniatores vocavit, cum ait, illos orthodoxos Pastores per calumniam differre, idem quod supra respondedo. Tertium quod atinet nec re nec nomine usquam extare si dixerō, quid contra dicturus sis nescio. Nomen non esse certū est. nec negabis, rem esse non video quomodo probabis. *Aula se insinuant* ait Sibrandus, quod non malum, & bonis etiam facturatum: *in aula insidias dicitis*, quod nunquam bonum, aut à bono factum, hoc ergo à te fictum per calumniam, quod à Sibrando nunquam dictum, sicut & quartum, quod nihilo magis est in re quam nomine. Eusebij quidem nomen

nomen invenio, sed novos nostri temporis Eusebios ubi dicat non video. Sic enim Sibrandus ait. *Eusebii Nicomediae Episcopus simulabat orthodoxam religionem, Niceno symbolo subscribebat, aula se insinuabat & Imperatori, hoc tamen agebat ut orthodoxam religionem extirparet, Arii haeresin seminaret, Eustatium magnum per calumniam opprimebat, Episcopum Arrianum illi substitutebat, Athanasium laese maiestatis insimulabat, et florentes Ecclesias dissipabat.* Ut Eusebio supra quæ dixit applicet, & illius exemplo vera esse probet, non Eusebij nomen de aliquo prædicet.

GROTIUS. *Hæc causa est, cur Hollandia Rectores iam tum dixit autores scelerum.*

Non delirat solum sed furit Sibrandus, si levem hanc ob causam, quod scilicet Ecclesia ejici non pantur Pastores Sibrandinae sententiæ contradicentes, in Ordines tam irreverenter incurrit: nec ullam causam video, cur ipse non ejiciatur modo sed puniatur, hæc si quæ scribis vera sunt, aut tu si falsa: crimen enim est & scelus vel Sibrandi, si tali de causa, talibus verbis in Ordines incurrit, vel tuum si tam horribili non audacia sed calumnia Sibrandum petis. Causam itaque quod attinet ut vera sit, ejecerit aliquem Sibrandus vel ejici per Ordines curaverit necesse est, si ejici quenkquã noluerunt: quod cum verum non sit, nec unquam probabis, fictam à te causam esse quis dubitabit. ficta etiam esse quæ ponis non verba sed crimina, quæ in Ordines prius designatos tantum, post nominatos etiam tanquam tela venenata Sibrandum jacerere dicis, hinc patet, quod neutrum verum. Primum enim citato loco Ordines non designasse ut probem, ipsa Sibrandi verba & hic transcribam, hic enim cardo vertitur, qui Epistolam sic orditur. *Maxima pars hominum sinistrae indicat de laboribus doctorum in defendenda doctrina Christiana, multi enim ut fabulas & hominum terribilia religionem ridere, et subjungunt, hæc putant contentiones de dogmatibus religionis esse logomachias, omnino religionem*

religionem in corde suo vident, nullamque ob finem alium eam præ-
tendunt, quam ut emergant. indignantur cum aliquem vident qui
cupiditati ipsorum subservire recusat, hi homines conqueruntur tran-
quillitatem communem diversitate religionis perturbari, tam petu-
lanti sæpe sunt ingenio, ut versus homines supponant, qui nova do-
gmata cudant, & dum pij doctores se illis opponunt ipsi se his specta-
culis oblectant. Fit etiam, ut cum omnia sursum deorsum volvere in
animo habent, certamina in doctrina concitent, vel eos qui ea mo-
vent forveant, impedianque ne lites in doctrina mota legitimo iu-
dicio componantur, & quod omnium miserrimum est, cum sint do-
gmatum religionis Christianæ imperiti, summum de illis iudicium
sibi arrogant. his verbis Hollandiæ Rectores designasse Si-
brandum quis, nisi tuis oculis videat & mente, intelligat? talia
enim sunt quæ non solum aliis conveniunt, sed etiam quæ
Ordinibus convenire non possunt. Maximam enim homi-
num partem qui ponit, Ordines quomodo intelligit? mini-
mam si dixisset crederem potius. Nec multos dicat sed pau-
cos, Ordines qui designat: de quibus multis Sibrandus hæc
omnia narrat. Et qui illi Hollandiæ Rectores, qui ut emer-
gant religionem prætendunt? qui jam ascendit quo non po-
test altius, hic ut emergat quærat? quomodo etiam Hollandiæ
Rectores eam communem tranquillitatem diversitate religionis
perturbari conqueruntur? qui diversitatem imo multitudi-
nem religionum in Hollandia patiuntur. Calumnia igitur est
tua, qua Sibrandum traducis, cum hoc loco Ordines desi-
gnasse fingis, longe tamen major cum nominasse etiam asse-
ris, nec locum ubi fecerit ostendis. *Iam tum quidem non no-
minabat eis, ut nunc facit,* quando aut ubi? locum cita vel
finge. nec enim intestato tibi credit, qui fraudem jam ante
factam animadvertit? cur enim locum magis adducas ubi de-
signat Ordines tantum, & cum nominat, quod audacia est
longe majoris, locum cur taceas? Certum itaque nec desi-
gnasse Sibrandum Ordines citato à te loco, nec alio, quo
dicant

dicam nescio, quia ipse nescis aut non dicis, nominasse: restat
ut quæ dixerit singula inspiciamus, & hic fidem tuam probe-
mus. Dixit ais. *non designando sed nominando, Ordines esse autores
scelerum*, hoc ut fallum esse probemus ut & sequentia, illud
notandum prius, Sibrandum Epistola Socino à se referato
præfixa, duplex hominum genus introducere, quorum facta
imo scelera suis coloribus depingit & enumerat: ita tamen
ut designet illos non nominet. Quod & tu fateris, sed de tuo
addis, *cum Oraines designasse & Pastores appellasse asseru*, quo-
rum, ut jam probatum, utrumque fallum: sed ut concedamus
tibi quod vis, Ordines designasse: illud certum est, non con-
fuse sed distincte de Ordinibus prius, post de pastoribus lo-
cutum: etsi tu ordinem mutes & dicta confundas. De Or-
dinibus ex mente tua designando loquens sic incipit. *Maxima
pars hominum, & orationem finit, cum ait, esse qui cum dogma-
tum Ecclesia sint imperiti, sibi tamen indicium de his arrogant.* De
Pastoribus appellando ut vis incipit; *sunt etiam arrogantes ho-
mines & superbi*: quo notato, facile erit iudicare quid de Or-
dinibus dictum, quid de Pastoribus. Primum ergo autores
scelerum vocasse Ordines falsissimum: neque enim vel res
vel verba, in toto illa quæ de Ordinibus est orationis parte,
extant: in altera quæ de Pastoribus, forte invenies, cum ait,
quæ scelera ipsi Ecclesia hætes, *illos immuens quos arrogantes ho-
mines & superbos, id est Pastores ante dixerat, quæ scelera inquam
ipsi perpetrant, orthodoxi impingunt Pastoribus.* Ut de Pastori-
bus hoc sit dictum non Ordinibus. *Ingenij petulantis esse*
dixit quidem, sed quod de Ordinibus omnino intelligi non
possit. Inquit enim, *hi homines mundana gloria inflati, conque-
runtur communẽ tranquillitatem a diversitate religionis perturbari,*
cum tamen ipsi sepe tam petulanti sint ingenio, qui scilicet turbant
pacem publicam diversitate religionis conqueruntur: quod
de Ordinibus, intelligi Ordinum facta non patiuntur. Per-
turbatores orbis terrarum, populi concitatores, qui omnia sedition-
ibus

nibus miscent. Ordines esse quod dixerit non minus falsum est quam prius: cum in illa quæ Pastores depingit orationis parte ad verbum fere ponantur. Vbi de Pastoribus loquendo ait, *perturbant orbem terrarum, concitant populum, omnia seditionibus miscent & orthodoxos Pastores de his omnibus accusant.* Epicureos & Libertinos vocasse tam falsum est, quam est verum de neutris hoc dixisse. Post finitam enim jam de Pastoribus orationem, & piorum querimonia in genere facta, de se sic loquitur. *Quod ad me attinet, negare non possum quin similes molestia animum perculerint ut dubitaverim an hunc librum, in quo fundamentum religionis tutatus sum, in publicum edere debuerim: abstruserunt me Epicurei & Libertini qui politici audire volunt.* Hic quis nisi per delirium aut somnium Ordines intelligi dicat, quasi præter Ordines Libertini nulli essent aut Epicurei, ut his nominatis Ordines statim intelligantur. Imo Ordines intelligi ut non possint aut debeant, hoc ipsum quod addis demonstrat satis, cum Epicureos non quosvis, sed sub *politico- rum nomine latentes nominas*, ut politici non sint quos dicis Epicureos, sed ut Sibrandus, politici audire velint. Aut itaq; politicos esse Ordines nostros tibi negandum, aut Ordines non posse intelligi fatendum. Vltro *quod faciant alantque Ecclesia dissidia & in ijs se suaviter oblectent*, dixit sed Ordines intelligere non potuit: cum de iisdem hoc dicat, *quos supra paulo, petulanti esse ingenio & qui tranquillitatem diversitate religionis turbare conueruntur*, pergit enim, *hi tam petulanti sunt ingenio, ut versutos homines supponant qui nova dogmata cudant, & dum pii doctores se illis opponunt, ipsi se his spectaculis oblectent.* Ut cerium sit, si priora de Ordinibus intelligi non possunt, ut nequaquam possunt, hæc posteriora illis non nisi falso à te attribui. *Religionem denique ipsam ut fabulas & terricula menta derident*, verum est non tamen Ordines sed multi, ait enim, *multi religionem tanquam inanes fabulas derident*, quod de Ordinibus qui intelligit, quam illi pauci sint nescit. Hæc cum

ita se

Ita se habeant & vera sint, certum est te per horribilem calum-
niam Sibrando affingere, quæ ille nunquam cogitavit
scribere. Hic ego quam tu justius exclamem, ubi nunc lex
Rhemmia? quæ calumnias puniat ut innocentia tuta maneat.

GROTIUS. Sed rectene an secus Ordines fecerint mox vide-
bimus. Nihil necesse habes, certum enim est, nec dubitatum ante,
Ordines præter rectum fecisse nihil, cum ejici Pastores passi-
m non sunt qui Sibrandina non subscribunt sententiæ, & jus
magistratui ademptum vindicant. Hoc potius, non mox sed
nunc videris, rectene an secus feceris, quod Sibrando per in-
auditam calumniam, Ordinum bonorumq; omnium odium
tam impenso studio conciliare conatus sis, nullam ob causam
aliam, quam quod hæreses tam novas quam renovatas, ex Ec-
clesia & patria hac nostra eliminatas cupiat.

GROTIUS. Nunc illud sufficit, hæc esse veram tumultuanti-
am causam Vorstium nihil se respondere. Imo illud nunc sufficit, te nunquam ulli bono persuasurum,
aut tumultus causam esse Sibrandum non Vorstium, & qui-
cum Vorstio. Quod nisi credis, hominem cum hæresi elimi-
nandum cura & videbis: aut tam levi & injusta de causa
Ordinibus motam litem & Pastoribus, illis quod in meritos
Ecclesia non ejiciant, his sui quod est officij quod faciant.

GROTIUS. De vocatione autem ipsam qua tam odiose traduci-
tur ita se res habet. Non vocatio sed vocatus Vorstius, non traducitur sed merito
à piis arguitur & damnatur, quod sub Ricianis specie & reli-
gionis errores seminet & hæreses, nec doceat sed decipiat.
Miror autem te, qui Vorstii non os modo sed anima merito
dici potes, non videre tanto magis damnare hominem, quan-
to speciosius & ampullis majoribus vocationem ejus decla-
mitas, nec hunc solum, sed omnes quos in medium producis,
& ipsos Ordines. Talis enim qualem prædicas si est Vorstius,

D

si vera

Si vera sunt principum quos ponis testimonia, cur vocatus à Curatoribus, non sine Ordinum scitu aut permisso, publice non docet Vorstius. Cur in fulgore quo dignus est non versatur? sed quasi privatus latitat? ipsum non velle, scio non dicces, nec enim ad hoc venit. Nolunt ergo Ordines, & hoc aut magna & iusta de causa, quod damnat hominem & principes, aut iniusta, quod Ordines, qui hominem talem & tantum vocatum etiam ad professionem, sine causa professorem agere non volunt. hic quidquid contra dicas, nunquam tamen efficies, quin hominem damnaris magis quam laudaris.

GROTIUS. *Steinfurti in schola sacrarum literarum erat professor Vorstius, Comitiſſau, senatus, Paſtoribus pergratus.*

Credo sed personatus adhuc Pietatis larva, qua nunc per veritatis patronos detracta, crede nunquam Steinfurti vel professorem, vel quibus dici gratum fore quamdiu reformata religio ibi grata. Ut frustra hæc, ut & sequentia, si non ad eruditionis eius commendationem, sane ad hæresios excusationem, utrumque enim ut efficias contendis, à te dicantur.

GROTIUS. *Doctissimi è belgio nostro viri amicitiam cum ipſo colebant.*

Doctum hinc quis colligat & eruditum hunc hominem, sed fidei purum & religionis nequaquam: & facere hanc potuit non eruditionis admiratio, sed opinionum consensio. Nec enim qui doctus statim & orthodoxus. Nec indocti qui hæresim auspicati, hæreticum enim quid faciunt nisi ingenii subtilitas aut superbia. Nec excusat ut putas ab hæresi Vorstium hæc amicitia, sed viros belgii nostri doctissimos potius damnat: amicitia enim similes facit aut accipit: ut hos, quos facis doctissimos credere quis possit esse non alios, quam illos qui etiam in belgium hoc nostrum, damnata jam dudum opinionum deliria reducere conantur: hi enim Vorstium aut sequuntur aut timentur.

GROTIUS:

GROTIUS. *Complures ipsius libri contra Iesuitas, laudis multum
& gratia ipsi pepererunt.*

Nec minus plures ipsius libri contra veritatem, ignominiaë tantum & odij apud rectè sentientes ipsi pepererunt, ut jam publico fere iudicio, non hujus tantum patriæ nostræ, sed exterorum etiam, ut hæreticus damnetur & publicetur. Nec prodest Iesuitas refutasse & veritatem abnegasse: quos refutare potuit non ut tolleret, sed alios ut caperet. Sic enim & diabolus Christum commendat & Apostolum, non ut fides horum recipiatur, sed ut facilius hac specie quilibet decipiatur. Quin hæreticis hoc usitatum, ut alias confutent hæreses ad hoc tantum ut suum dogma stabiliant: ut de Photino testatur Socrates.

GROTIUS. *Nuper ipse Hassia princeps, ad Academiam Mar-
purgensem ornandam ipsum sollicitaverat.*

Verum sed latentem adhuc Vorstium non detectum, ut nihilo magis hoc commendet hominem aut purget. Tam enim decipit principem simulata Pietas & latens fraus, quam quemvis alium. Nunc idem si faciat quod nuper, non eruditum modo Vorstium sed hæresios, quod unice vis, purum una reclam fatebor.

GROTIUS. *Antibellarminus ab ipso editus multis eruditis &
pijs laudabatur.*

Fallax non minus & infirmum hoc etiam, si non eruditionis, Pietatis tamen Vorstianæ argumentum. Quid enim usitatius quam errores refellendo errores ferere, sed alios & suos: nec enim fel nisi cum melle bene datur aut accipitur. *Laudatur quod brevior, quod æquior:* utrumque placet sed utrumque decipit. Brevitas occupatum aut minus oculatum, æquitas placidum nimis aut minus zelosum: illa ut non intelligatur, hæc ut non rejiciatur, utraque ut receptus nec intellectus, lector decipiatur.

GROTIUS. *Inscriptus erat hic liber Ordinibus.*

Tam impudentiam hominis hoc ostendere potest quam Pietatem; nec rarum hoc Socinianis: sic enim Catechesis Sociniana Britanniae regi, quem tamen hostem illi sectae ἀποπυδοῦ caelum novit & sol, inscribitur. Sic Poloniae regi, Smaltij de Christo non scriptum sed blasphemia. Sed melior Vorstius, *gratulatur Ordinibus felicem bellum exitum*; & novi belli machinatur exordium, quo oppugnetur non regio sed religio, patria non vastetur sed Ecclesia. *Aequitatem commendat Christianam*, & iniquitatem seminat Vorstianam. Quid enim hac aequitate quam commendat Ordinibus suadet aliud, quam ut sinant quemvis pro voto suo & fide, quaecumque id sit, docere & scribere, modo salutis fundamentum, fraudis hoc est auctarium & phaleræ ad populum, non sit aut tangat: quo quid petit aliud, quam liberum hæresibus aditum. Quid quid enim dicat aut doceat non erroneum modo sed blasphemum etiam, an non parata defensio: *non est salutis fundamentum aut tangit*. Deum infinitum essentia non esse, corporeum esse, cur non dicam? nec enim salutis fundamentum, modo Deum esse credam. Christum ἀλοβοῦν non esse, modo Deum dicam. Salutis fundamentum non est prædestinatio, ergo negetur, in Ecclesia non doceatur; resistibilis gratia introducatur, electionis certitudo negetur. Et quid non huic fundamento superstruat, hoc fundamentum semel qui statuat.

GAOTIUS. *Hac admonitio mitibus ingenijs & rixarum fugiensibus, autorem conciliabant.*

Pijs malle miteres diceres quam mitibus ingenijs: Quod tamen aut in te verum non est, qui tam imiti Sibrandum exagitas ingenio, aut autor tibi non placet: quod posterius quoque verum cum non sit, nec enim, credo, ipse tibi magis, quam Vorstius, places, verum prius sit necesse est: ut non sit mite ingenium cui autor placet, aut rixarum amans cui displicet. Nec quod mite ingenium statim & pium: Heli mite erat ingenium

genium eum peccantibus filijs indulget, non pium cum non redarguit aut punit. Sic rixarum amans Athanasius dicebatur, cum Arianos aut confundit aut eiecit.

GROTIUS. *Præsertim eum eadem suadere videretur, quæ ante Palatinus Princeps.*

Vere dicis, suadere videbatur nec suabdebat tamen, quid enim idem suaderet qui idem non sentiret. Convenit cum Principe Vorstius, quod scribit uterque, sed dissentit à Vorstio Princeps, quod hic scribit ut consulat, ille ut decipiat. Scias interim, si nescis, inæqualium societatem melioris offensam esse.

GROTIUS. *Hæc causa fuerunt Pastoribus, cur Vorstium commendarent, Curatoribus cur professionem deserrent.*

Multa cumulas sed verbose magis quam nervose: nec enim vel excusare possunt ista Pastores & Curatores, nisi illi quantum latentem ante laudarunt tantum nunc manifestum damnabunt: hi, quem vocarunt doctorem nunc remittant deceptiorem: aut Vorstium commendare; totidem enim sunt hominis iudicia, quotidem principum adducis testimonia, cum quæ ante facta nunc cupiant infecta.

GROTIUS. *Quos eo nomine si volent accusare, Comites accusent prius & Principem.*

Nihil necesse est, cum longe alio nomine accusentur illi, non quod ignotum, si tamen ignotum, ante laudarunt; hoc enim fecerunt & Principes; sed quod bene notum etiam nunc manu & lingua tæantur & laudent: illud ignorantia excusat, hoc consensus facit & ex consensu fides: hi non quod vocarint decepti, sed quod non plane remittant plus satis edocti.

GROTIUS. *Se quoque ipsos accusent, cum negare non possint e p. imo de Vorstio sensisse.*

An bene unquam de Vorstio senserint nescio, nunc hominem damnare & odisse scio, quem manifesta damnat hæresis.

Nec olim laudasse ignotum crimen est, sed impietatis manifestum tueri & sequi scelus est.

GROTIUS. *Simul atque compertum est Zelotis, Vorstium nisi commendationibus eorum qui ipsis quam maxime displicerent,*

Hinc, etsi non dicas, quis non intelligit Pastores illos, qui Vorstium Curatoribus commendarunt, esse non alios quam Harminianos, qui pietatis & pacis Zelotis (per contemptum aut convitium sic vocas ita tibi est mite ingenium) maxime displicent, non quod laudarunt hominem, quod error facere potuit aut affectus, sed nunc quod non laudant solum sed tueantur etiam, quod nisi opinionum consensus facere non potest, cum prætendi error amplius non possit. Manifestus est, tenetur.

GROTIUS. *Liber eius de natura Dei diligentissime excusatus cepit.*

Miror tibi ita mentem studio Vorstij excæcatam ut laudanda carpas & carpenda probes. Culpas quod pietatis Zelotæ librum de natura Dei cum cura excusserint: hic quæ culpa? autor tuo iudicio gravissimus, materia quoque dignissima quid ni excutienda. Culpandum potius quod tui pastores id facere neglexerunt, hoc enim vel auctoris, quem tanti facis, contemptum arguit, vel pietatis, aut supinam socordiam. Sed legisse satis erat excussisse nihil opus, & hoc, quod te male habet, diligentissime. Credo ut lateret melius quo deciperet melius. Sed te vate longum non potuit esse fraudibus regnum. Excussus est autor, diligentiam laudo, cognitus est, mentis acumen video, damnatus est, pietatem & veritatem in Zelotis commendo.

GROTIUS. *Quem credibile est in non multas aliqui manus venturum fuisse.*

Aut fraudem facis hoc cum dicis, aut vera non sunt quæ de Vorstio supra prædicas: autor tam gravis, tam subtilis, quem comite

Comites commendant & principes, quem gravioribus etiam
consulunt doctissimi è belgio nostro viri, materiam qui
tractat gravissimam, & quod pondus habet, quem tu tantis
ampullis prædicas, in non multas manus venturus credi qui
potest: Utinam & hic vates esses & pedibus potius multorum
tereretur quam manibus, noceret minus.

GROTIUS. *Inquisitum simul in ea quædudum acciderunt.*

Et hic quæ culpa? Fure deprehenso aut alio quovis malefico
nonne idem faciunt iudices, ut non contenti facto præsentī,
in ea quædudum & olim perpetrata inquirant, justius ut pu-
niant: hoc si culpas, nec iudex es, nec æquus. Quod in vitæ
negotio si licet, & æquum est, in fidei cur iniquum? Inqui-
runt, diligentiam hoc arguit & fidei studium in Zelotis; in-
quirunt ut rem certius cognoscant, ne non tam præjudica-
tum quam non examinatum damnasse videantur, quod ar-
guit æquitatem; quam nisi iniquus sis culpæ non potes
au debes.

GROTIUS. *Privata & avixdora ipsius scripta in lucem ipso in-
vito protracta.*

Nec hoc crimen est aut culpa, factum & aliis nec culpatum
tamen. Impium te vel invidum ostendis hoc cum culpas. Si
enim bona, auctori famam, nobis usum invides: si mala &
impia, pietatem non vindicas sed iniquitatem: in hoc enim
latere vis, non ut silentio pereant, sed ut latenter inficiant.

GROTIUS. *Referatæ amicorum literæ.*

Res vitæ aut domestica si qua scripta in illis non probo, fidei
vero & religionis idem quod de avixdoris sentio; de facto si-
mili iudicium dissimile esse non potest. interim quanto plu-
ra cumulas ad culpam, tanto plura Zelotis in laudem profers
testimonia: diligentiam enim hæc omnia in Zelotis probant
& pium Zelum, quem nisi impius quis culpet aut damnat.

GROTIUS. *Cum his indicijs non ad Ordines ventum aut princí-
pem.*

Supra

Supra factum nunc facti modum culpas in Zelotis & dam-
nias, non tuo iudicio sed affectu Vorstiano; quam vere
ostendit satis & super Bogermannus ne dicta dicam: hoc ad-
do, nec in modo peccasse quidem: quin prudentiam video
& laudo, quod non statim ad Ordines itum aut Principem,
sed ad alios prius, quibus & Vorstius & scripta nota & judi-
cata, ut indicia sua firmis prius muniant argumentis & te-
stimoniis, quam causam ad iudicem deferant. Tu in vitæ
causis hæc ipse qui facis & probas, in fidei, ponderis longe
majoris, idem qui faciunt culpabis? Bene interim se habet,
quod hæresios Vorstianæ indicia esse fateris non calumnias,
cum quibus itum in Germaniam & nescio quo: ut merito su-
spectus tibi esse debeat Vorstius si non damnatus. Hæresios
autem suspectum quam bene vindices, tu qui pietatem vin-
dicas, iudicet hæc qui legit.

GROTIUS. *Missi nuntij, qui Sociniani smi ipsam arguerent, &
similes aliorum sententias prollicerent.*

Fraudem factam: ut innuas hæc dicis, sed frustra: nec enim
ut argueretur sed ut veritas inquireretur missus est nuntius,
si tamen missus. Quis enim nisi stultus reum arguat ubi
non sit aut iudicio listi non potest. Nec elicere sententias,
sed audire & cognoscere. Elicitur enim sententia vel indu-
cendo indoctum, vel decipiendo non cautum: ut coacta po-
tius sit quam libera, nec sententia est sed ignorantia: exter-
orum autem quæ sit de Vorstio sententia, non coacta sed li-
bera, non elicita sed prolata si nescis, nihil scis.

GROTIUS. *Hic ubi rumor percrebuit.*

Non rumor est aut fabula sed veritas, nec enim dicitur mo-
do hæresim alere Vorstius & sapere sed convincitur: ut qui
jam pridem suspectus nunc hæresios sit manifestus. tibi ta-
men rumor est non veritas, metuis enim, ita es scrupulo-
sus, ne idem si sentias, causæ Vorstianæ prejudices.

GROTIUS.

GROTIUS. *Quam percussis sint illi qui Vorstium commendarunt nescire Sibrandus non potest.*

Scit Sibrandus, scit patria percussos fuisse non leviter, non quod talem quasi ignotum commendarunt, sed quod commendati fraudes patuerunt: nec enim, aliter si esset, ita laudarent hominem, tuerentur, sequerentur Harminiani: propter quem verius dixeris, non percussos esse sed patriam percellere & Ecclesiam.

GROTIUS. *Vidit unius ad Vorstium literas Sibrandus aperte scriptas, quibus merorem suum abunde testatur.*

Crederet Sibrandus quia vidit, ut ais nisi sciret, hoc frequens esse hæreticis & usitatum, aliud loqui, sentire aliud & agere: docet hoc Arius, probant & alij. Crederet nisi sciret inter illos esse, qui in Catecheses jurant & confessiones, juramentum & manu confirmant, & tamen religionem improbant & damnant.

GROTIUS. *Si quid veri subesset, vult ut oblatum munus recuset, neque Ordinibus imponat.*

Quid aliud scriberet percussum se qui fingeret nec esset: quod vel hinc constat, quod ipsi reo iudicium committit & sententiam, ut ipse se vel culpet vel absolvat. Sincerus si esset, cum tantus sit, non reo sed sibi sumpsisset iudicium, aut alijs commississet: te consulta & iudicata, sententiam, ne deciperentur, Curatoribus indicasset, sic fidem probasset & Pietatis zelum, ipse iudicando non rei verbis credendo. Sciebat enim aut scire debebat, præter mendacium hæresin habere audaciam & impudentiam, qua non suspecti solum sed convicti etiam, veritatem sibi tamen & innocentiam tribuunt.

GROTIUS. *Hæc ex animo scribit, neque enim scripsit ut vulgarentur.*

Non Grotio sed Vorstio dignum sinceritatis argumentum, quasi ex animo nemo scribat qui quod scribit evulgat, aut nemo decipiat qui quæ scribit occultat. Nec statim ex ani-

E

mò quod

mò quod est aut sit sincerum est ; multa enim & subdolo fiunt ex animo nec bona tamen aut vera. verba hæc sunt non veritas.

GROTIUS. *Isne credendus est Socinianismo favere.*

Credendus sane , si non Socinianismo favere hæresi tamen ni tu aliter probes. Quid enim adfers quod non etiam in Ario vel alio quovis publicato hæretico esse potest. Hic etiã in literis mærorem suum ostendere potest , innocentem se dicere , ex animo scribere , & quæ scribit non vulgare ; quæ tua sunt sinceritatis argumenta , imo non argumenta sed verba , quæ sonum quidem habent pondus non habent.

GROTIUS. *Ad Ordines Hollandia istius causæ cognitio pertinebat, ipsorum enim est Academia.*

Duplex hic causa est , vocatio & hæresis : alteram ad Ordines pertinere puto , ipsorum enim est Academia ; ut nemo ad professionem in Academiam veniat , qui ab Ordinibus vocationem non habeat. alteram non puto , nec enim ipsorum est conscientia & religio , quæ hæresi aut tollitur aut inficitur. ut iudicium de hæresi , sit nec ne , Ordinibus adimam , de iudicato tamen & damnato hæretico liberam potestatem faciam. Ut enim Ordinum non est religionem docere & fidem , sic nec refutare , quod nisi facto iudicio fieri non potest Illius ergo est iudicare de hæresi cujus est fidem docere , Ordinum est hæresin vel ferre vel tollere.

GROTIUS. *Venit Hagam Vorstius , expectans si quis accusator exurgat , cum nemo appareret abijt.*

Accusatorum conscientiam scio hinc arguis Vorstij innocentiam , ut abunde tibi sit purgatus , qui tum à nemine fuit accusatus. Sed quam vere docet , quod vocatus venerit ab Ordinibus , an ultro , de criminibus objectis se purgaret , an vocationem oblatam susciperet , non dicis. Hagam venire potuit nec accusari , quid mirum , si accusatoribus non dicta dies ab Ordinibus , si iudicium non indictum. Vis enim infidei ne-

si sui negotio iudicium esse pœnes Ordines non alios, hoc cura ut fiat, et si nullus accusator exurgat, nihil erit quin Vorstium innocentem totus orbis agnoscat.

GROTIUS. *Multo post, Pastores aliqui in Melanthonianam de prædestinatione sententiam declamare cœperunt.*

Cum Vorstio Melanthonem quod jungis, non alia de causa factum puto, quam ut Pastorum inquietum, ut vis, ingenium exagites; qui non in Vorstium modo sed Melanthonem etiam incurrant & damnent: nisi & hunc veram tumultuandi putes causam non Vorstium, ut propter Melanthonem etiam sicut propter Ordines Vorstius accusetur & damnetur. Declamare autem in Melanthonianam sententiam nec culpa nec crimen est. Ille si aliis contradixit, quod fecit si aliter sentit, cur aliis idem non liceat: nec enim Melanthon Paulus est, cuius de prædestinatione sententiæ contradicere & in illam declamare scelus puto.

GROTIUS. *Simul & in Vorstium declamare cœperunt, non tamen ut in ipsum inscribere auderent.*

Inique factum, quod in Vorstium absentem declamare cœperunt qui præsentem accusare metuerunt: cuius metus non leve indicium, quod in quem declamant inscribere non audent. credo designando non nominando in Vorstium declamasse, ne Vorstianos si qui essent læderent, qui non essent, in quem dicerentur minus intelligerent. Aut fraudem hoc arguit, aut metum in Pastoribus, lenitatem dicere non audeo: tu apertior, in quem declamas audacter etiam inscribis.

GROTIUS. *Dicebatur Vorstius negare consubstantialem, inconfusam, & indivisam Trinitatem.*

In Vorstium ergo inscribebant si hæc de Vorstio dicebant: modo ais modo negas. nec dixisse hominem damnat, sed quod dicitur probasse. Quod nisi credis, vel ipsos inspice, vel ipsum excute, sed iudicio tuo non affectu Vorstiano.

GROTIUS. *Quid ergo Vorstius, falsus est omnia? imo nihil horum.*

Purgatus ergo qui nihil falsus? sed ut accusasse tantum nec probasse non damnat, sic negasse reum non excusat. Quis non negat culpam ut evitet pœnam. Quis reus conficitur nisi vincatur: nec Arius erit si negare sufficit.

GROTIUS. *Hic ego pios omnes compello, diligenter expendans quid in hoc iudicio fuerit* ΧΡΙΣΤΟΜΕΝΟΥ.

Mirum quod non causarum patronos advocaris potius omnes quam pios, hi enim controversiam hanc, quam ita obscuram facis ut diligentem requirat considerationem, expendent melius & judicabunt. Quasi hoc non ageretur in primis ab accusatoribus, ut hæreticum esse docerent Vorstium: aut Pietatem Ordinum in dubium vocarent, ut hæreticum jam convictum, non in patriam modo sed Academiam ad docendum essent admissuri. Hoc volunt accusatores, ut judicetur & pronuntietur, Vorstius sit hæreticus nec ne, quo probato, sibi, Ecclesiæ, & patriæ fecisse satis putant. Iudicatum & convictum, vel pellere vel admittere, ipsorum enim est patria & Academiâ, Ordinibus committunt.

GROTIUS. *Audita est causa.*

Quid obstat cur non & iudicata, quod si esset, controversiæ omnis contentio sublata jam esset, qua turbatur patria & Ecclesia. Forte nec confessus nec convictus. Cur ergo non absolvitur, Orthodoxus cur non pronuntietur qui ut *Ἐοὐδὸς ὁ Θεός* accusatur? in vitæ causis lis pendeat, in fidei judicetur, sententia pronuntietur: moram non patitur hæresis aut patientiam.

GROTIUS. *Præsentibus, præter accusatores, sex Theologis Socinianismi nunquam suspectis.*

Quos ne quis totidem patronos Vorstio putet quotidem Vorstij accusatores, recte Socinianismi suspectos fuisse negas. Sed Harminianismi non suspecti modo, sed professi esse poterunt,

fuērunt, inter quæ *subtilitatem* esse si quis dicat non male judi-
cer. Quin illi ipsi esse potuerunt, qui curatoribus Vorstium
commendarunt, quos pro Vorstio potius quam contra sen-
tentiam dicturos quis dubitabit. Hi enim ut, te supra teste,
accusatoribus quam maxime displicent, sic his illos in vicem
displicere nemo negabit: hinc quæ alia quam odij non veri-
tatis sententia expectanda.

GROTIUS. *Postea ex Britannia venerunt literæ.*

Hoc aliorum scire quid interest, aut tua quid dicere? quid
ferrent diceres potius, Vorstium damnarent an absolverent:
hoc cum taces, conscientiam prodis non ignorantiam.

GROTIUS. *Laudatusne est Vorstius quod subtiliter scripsisset.*

Mirum hoc, ne delirum dicam iudicium, ubi aliud auditur
aliud iudicatur. De hæresi est causa audita, & de scribendi
subtilitate datur sententia. Quasi Vorstius accusetur quod
scriptor subtilis non quod hæreticus. nec enim ita delirant
actores, ut quem hæresios publice damnatum cupiunt, ei de
scribendi subtilitate litem faciant. subtilem esse licere sciunt,
nec ipsi damnant, hæreticum esse non licere cupiunt, aut pu-
nitum volunt. Ordines etiam causam quam audiunt iudicant
non delirant: ut non iudicium hic nobis Ordinum descri-
bas, sed fraudem tuam crassam nimis hic prodas, cum sic
causas aut extenuas aut mutas: pro hæresi subtilitatem, pro
damnatione vituperium substituis. Quid inter hæresin &
subtilitatem intersit, scio non nescis, inter absolutionem &
laudem. *hæresis*, ais ipse supra, *pestis est & venenum Ecclesie
presentissimum*, quod de scribendi subtilitate nunquam di-
xeris. Nullus etiam coram iudice fit unquam reus, ut laude-
tur aut improbetur sed ut damnetur aut absolvatur: neutrum
hic fit, nec absolvitur nec damnatur. Adeone res ardua est
aut dubia de subtilitate iudicare? quin ego, qui causas non
tracto, facile feram sententiam & quidem verissimam, nec
enim ut *errem metuo, cum nulla in codice imo juris oceano,*

de scribendi subtilitate vel actio sit vel sententia. *Si subtilitatis fit reus absolvatur: sin hæresios & convincitur, damnetur, puniatur.* Sed forte sententiam non vis, litem pendere mavis, quod tibi melius & Vorstio. actionem ergo non mutares, & pro gravissima frivolum substitueres. De hæresi judicare & aliquem damnare grave & arduum, de subtilitate scribendi sententiam non tulisse stultum est.

GROTIUS. *Legibus receptum est, ut reus honores novos petere non possit, ante adeptos gerere possit.*

Tuis forte non Iustinianeis, quæ multos reos novos non solum petere honores non sinunt, sed adeptos etiam cum vita tollunt. Quos capite puniunt leges, aut infamia, aut exilio reos, etiam adeptos honores gerere permittunt? homicidas, raptores, incendiarios & similis notæ homines honoratos cupiunt? nimis tuleris prodigus es, qui reos non distinguis. in levi aliquo delicto hoc verum, in scelere & crimine falsissimum. hæresi autem quod gravius crimen putas, quo & majestas læditur non ἀλοχράτορ sed παλοχράτορ, Ecclesia quæ domus Dei est incenditur, anima hominis non vulneratur sed occiditur. Crimina hæc sunt & scelera non honoranda sed punienda. Mitior tu forte quam qui omnium mitissimus dicitur Moyses, qui in Deum blasphemus vita punit, tu nec honores adimis.

GROTIUS. *Ascriptus professorum albo Vorstius.*

Ante dubio procul hæresios accusatus, hoc enim ipse fateris, cum supra Hagam integra adhuc re venisse dicis, & si quis accusator exurgeret expectasse: ut reus jam factus sit ante quam Hagam venerit. Inique ergo, & tuas contra leges, ascriptus est Vorstius, qui jam reus, honores petere non potuit aut accipere.

GROTIUS. *Speciose dici potest, non esse possessione eius muneris depellendum.*

Tuuste genius cum agit verus es, ubi Vorstianus quidquid dicis fictum est. Quid enim verius à te dici potuit quam hic quod

quod dicitis? *speciosè dici poterat, hoc quid aliud est, quam non vere: ut ipse fatearis rectè depelli posse à munere, qui injustè & contra leges honoratus est munere. Quod enim petere quis non potest multo minus habere. tua autem hæc lex est, honores reus ne petito, adeptos ante habeto.* Reus ergo Vorstius quos petit honores aut accepit reus deponat, eo magis, quod supra paulo dicitis, *non admittendum modo hæresum magistrum, sed admissum etiam ejiciendum.* Quo tuam ipse legem damnas & tibi contradicis. Si enim reus quos habet honores ex lege retinere potest, nisi contra legem, admissus ejici non potest, & sic aut ipsum te, aut quem defendis damnas.

GROTIUS. *Quamdiu cognitio penderet.*

Speciosè quidem hoc additur pro Vorstio, sic enim nec damnatur nec absolvitur, ignominiosè tamen in Ordines, qui levem subtilitatis causam aut cognoscere non possunt aut judicare nolunt: quorum illud ignorantiam arguit in Ordinibus, hoc malitiam; quod quid aliud est quam judicem damnare, nec reum absolvere. In facili causa judicare ignominia judicis est, nec reum absolvit: quamdiu enim lis pendet, reus est & manet. Sed scio te malle reum esse Vorstium quam nocentem, & accusari quam damnari: & ideo ut lis pendeat vel optas vel curas, sic enim in causa mala solent patroni, scis sententia si feratur, nihil esse quin Vorstius damnetur & ejiciatur.

GROTIUS. *Abstinet tamen ab eo munere.*

Iuste abstinet à munere qui injustè honoratus est munere: reus enim te judice *honores gerere potest, petere non potest.* Quod tamen non sponte facit ut persuadere vis, quid enim, quos reus accepit & petit honores etiam inhibente lege, acceptos non gerat si possit? tuam crede non magis curabit legem quam divinam, modo munus hoc gerere jubeant non leges sed reges. Quod ipsum tamen indicat reum esse Vorstium, & sententiam jam quidem scriptam sed nondum pronuntiatam. Cuius

tam, cur enim innocens abstineat à munere, cum nocens etiam vivere possit cum munere.

GROTIUS. *Lugduni habitabat in urbe libera.*

Omnia dicas licet, hominem tamen non ornas sed damnas. Quis enim nescit ad docendum venisse Vorstium non habitatum, nec civem sed doctorem, & hoc non ultro sed vocatum. Magna itaque sit causa necesse est, cur habitet tantum non doceat, civem agat non professorem. licet nec sic habitare possit etiam libera in urbe, cum ipse sit non liber sed reus, non erroris sed sceleris, hæreticos scilicet & in Deum blasphemiarum: qualis non admittendus modo, sed ut ipse ais, *admissus etiam efficiendus.*

GROTIUS. *Eo in solo, quod errorum quantumvis gravium manifestos, ferre iam dudum didicerat.*

Quid diceres apertius ad Vorstij non commendationem sed damnationem: his enim verbis quid inuis aliud, quam Vorstium etiam, hæreticum licet pessimum, ferre posse solum illud quod jam dudum errores gravissimos ferre didicerat. Encomium sane lycæi illius celeberrimi dolendum potius quam jactandum.

GROTIUS. *Adeone iniquum aut invidiosum erat, si in tam populosa civitate unus hic homo, privatus & quietus viveret.*

Neminem scias pium invidere Vorstio populosæ urbis habitationem, non privato modo sed & publico: quin vel in Chinensem amplissima, aut Turcici imperii populosissima urbe Alepo habitationem etiam publicam illi vovent & optant: Pietas enim invidiam non patitur. Nec iniquum quis putat habitare, sed decipere, & hæresi inficere, quod privatus etiam potest, iniquissimum esse nemo bonus dubitat.

GROTIUS. *Elegit ipse ultro secretum, citra noxam cuiusquam, citra suspicionem quoque.*

Frustra *philopœtus*, **nunquam enim dicendo tantum** *efficies,*
etiam si

etiam si locutius fias, aut lingua, ut piis adimas non suspitionem quam habent de homine sed veritatem, aut ut citra periculum simplicium inter nos vivat, qui ad hoc venit ut decipiat. Scias interim te Rhetorem esse bonum, patronum vero causa Vorstianæ non bonum. Quo enim illum in secretiora & remotiora ponis loca, eo magis crimen aggravas & monstras. Quamdiu enim in hydraram, proh dolor, feraci illo solo privatus non publicus viveret, subesse causam suscipari sed levem aliquam non nemo potuit: hinc vero exire, si non jussus, sed monitus, aut ut tu, ultro egressus & hoc ad viliora, quis non jam quasi tacite à judice aut conscientia damnatum, relegatum etiam & in exilium missum putet.

GROTIUS. *Purioris ævi concilia se oporodolere testari arbitrantur, si prava docentes Episcopatu dimoverent.*

Quem damnatum hæctenus tacite innuisti, nunc punitum etiam aperte significas. Aut enim extra oleam hoc à te dicitur, aut punitum jam Vorstium à te ostenditur, & sic criminis non reus modo sed nocens agnoscitur. Cur enim puniatur qui nocens esse non videatur, ut hic ipse fatearis non aliam esse causam, cur Episcopatu demotus Vorstius, id est cur professorem non agat & publice doceat quam hæresin.

GROTIUS. *Severissima pena erat insula claudere, non tamen extra imperij fines.*

Hoc quid aliud indicat, quam secretum non ultro elegisse Vorstium sed relegatum: frustra enim & hoc dicis, nisi ad Vorstium applices. Non tamen ut veteres, continens ei data est non insula & hoc intra imperii fines, ut exire liceat cum volet & suos visere & videre: non aqua & igni interdictum, sed stipendium amplum concessum, ut vinum pro aqua habeat pro igne fercula: mitiores n. nostri imperatores quam veteres. Et tamen *lis adhuc pendet ais, & causa cognoscitur.* reum ipse patronus cum damnat & punit, judex quomodo absolvet aut non damnabit.

GROTIUS, *Ordines Hollandiæ ut fautores Socinianiſmi apud re-
ges, apud Eccleſias traducuntur.*

Idem & iſte tuus animus à calumnia necdum ſibi temperare
potest, quæ ut putida est, ſic & abunde ſupra refutata, ut ver-
bum hic addere operam eſſet ludere & oleum fundere. Or-
dines nemo arguit, traducit nemo: Vorſtium petunt omnes,
& qui cum aut pro Vorſtio, quos non fautores modo Soci-
nianiſmi ſed patronos eſſe ſcripta & facta docent.

GROTIUS, *Sub quorum imperio Vorſtius Socinianiſmi accu-
ſatus.*

Hæreſios ergo actio eſt non ſubtilitatis, ut ſingas ſupra judi-
ces nec laudare Vorſtium, quod ſubtiliter ſcripſiſſet nec ab-
ſolviſſe. Sciunt enim Ordines, niſi tu ita cauſarum rudes pu-
tes, quantum ab hæreſi differat ſubtilitas: & hæreſin eſſe fi-
dei maculam, ſubtilitatem ingenij gloriam: & crimen eſſe
hæreſin, ſubtilitatem non eſſe.

GROTIUS, *Quam longe abeant iſta iudicia à Chriſtiana car-
itate.*

Sed proxime accedunt ad Apoſtolicam veritatem, quæ hære-
ticum hominem poſt unam aut alteram admonitionem ju-
bet nos vitare. Quanto magis damnare: & ad Hieronymi
Pietatem, qui docet in ſuſpicionem hæreſios neminem eſſe de-
bere patientem. Vt non caritas ſit Chriſtiana ſed diabolica,
interpretationem & iudiciũ de hæreſi in benignius trahere.

GROTIUS, *Ipsi Paſtores, quos ut Vorſtio nimium amicos Si-
brandus exagitat.*

Non exagitat Sibrandus Paſtores ſed redarguit, quod ni-
mium amici Vorſtio, patroni enim ejus ſunt aut ſocij, ſe-
quantur aut tuentur, quod ſine impietate facere non poſſunt.
Hæreticus enim, eſto non convictus, ſuſpectus tamen eſt,
cum quo notitiam ne dicam amicitiam colere, extra ſuſpi-
cionem non eſt. A qua Cæſar ethnicus domum ſuam libe-
ram eſſe vult, illi nolunt conſcientiam.

GROTIUS?

GROTIUS. *Palam in conventu Ordinum testati sunt.*

Nihil novum hoc, idem fecerunt veteres Ecclesiæ maculæ, idem fecit & Vorstius; imo juravit, damnare se & rejicere Samosateni aut Socini blasphemias; nihilo minus tamen hæreticus est; scripta probant quod verba negant.

GROTIUS. *A se reiici, qua de trinitate, de Christi persona & officio, Sociniani docent.*

Sed quæ de prædestinatione ob prævisam fidem hominum aut opera, de salutis incertudine, sanctorum & fidelium finali lapsu, de spiritus sancti impotentia in resistibili gratia, & quæ ex his sequuntur, Socinus aut docuit aut probavit non rejiciunt, sed probant & tuentur: quæ omnia certum est, à puritate Christianitate & Ecclesia reformata rejecta & jam pridem damnata sunt, illi probant, in Ecclesiam reducant, à quibus ad illa gradus est, nemo repente fuit turpissimus.

GROTIUS. *Vbi illud discrimen, illud periculum & quidem summum.*

Hic in patria nostra, & Ecclesiæ visceribus, ni Deus & Ordines curant aut prohibent; neque dum periculum animum advertis? sed forte tibi tum demum periculum est & discrimen, non cum incenditur sed cum conflagravit Ecclesia, non cum gladium hostis cervici intentat, sed cum occidit. Nec procul est, & maximum est: ardet enim jam ignis, utinam non urat, & de anima agitur non vita aut corpore. Credo etiamsi totus illabatur orbis, te tamen impavidum ferient ruinæ, ita nihil metuis.

GROTIUS. *Habebant Ecclesia Rectores suos, defensores quos ante.*

Sed Pastores non habebant quos ante, metus enim est non à lupo sed vulpe; non vis sed fraus periculum minatur & malum. Extra quidem tuta est Ecclesia & defenditur, iidem enim defensores; sed intra jam non veritatis pabulo pascitur, sed errorum oneratur sabulo, nec enim iidem sunt Pastores. Qui

postquam resistibilem introduxere gratiam, Spiritus sancti
amittere gratiam, ut jam non sint Pastores sed ἀλλότριος.

GROTIUS. *Sed habet hoc Sibrandus, Ecclesias loqui facit quid-
quid illi in mentem venit.*

Non facit Sibrandus Ecclesias loqui sed dolet, Ecclesias jam
cogi ut loquantur & sentiant, quidquid tuis Pastoribus in
mentem venit, unde clamor Ecclesiæ & luctus, quem si non
audis aures non habes aut mentem. Habent hoc tui Pastores,
ut quod ipsi committunt aliis impudent, & tu, quod dictum
hæreticis inscribas Ordinibus.

GROTIUS. *Illud sane egregium, quod quæ rex in oppugnando
Vorstio fecit, componit cum ijs beneficijs quæ regina
patria præstitit.*

Egregie sane hic παρακωμωδεις, quid enim ad rem iste tuus lu-
sus facit, qui Vorstium defeudis aut Ordines, quid declamas
tu qui disputas? odiosus es potius hac tua loquaci oratione
quam jocosus: quid mali est quod Sibrandus regem cum re-
gina comparat? quem si præferret etiam crimen non esset
tamen. Nec sane minus est beneficium orthodoxis, fidem de-
fendere & religionem quam est civibus defensam habere pa-
triam & liberam: quid enim est patria sine vera Ecclesia. Ze-
lum ostendit & pietatem qui Ecclesiam defendit & verita-
tem, potentiam & affectum qui patriam. Ordinum Pietatem,
quod tui muneris est, vindica, regi gloriam ne detrahe. *Sed
non invideo, gloriam aliter & alijs argumentis prædicatam cupio,
similiter & ego Pietatis laudem Ordinibus non invideo, ali-
ter & alijs quæ pietatem verius exprimunt vindicatam quoq;
volo. Vorstius defensus, aut exagitatus Sibrandus, Pietatis ut
habent nihil, sic in Ordinibus quoque commendant nihil,
quia illos tangit nihil. Defensi Harminianorum articuli, pro-
bata magistratus quam in Ecclesiam habet autoritas, quæ tui
scripti sunt capita, non magis Pietatem arguunt Ordinum
aut vindicant, quam regis laus reginæ beneficia minuit
quam ut*

quam ut velis extolle, regi aute pone, ridebit nemo aut in-
videbit.

GROTIUS. *Igitur & pontifici Romano, & regi Hispanorum par
est Vorstius.*

Recte cum Rege Vorstium comparas & Pontifice, ut malefici-
cium ejus ostendas non beneficium, ita bene clientem tuum
defendis. Quid enim hac comparatione dicis aliud, quam
quod in patriam nostram cum pontifice est rex, illud idem
esse Vorstium in Ecclesiam. Hostes illi sunt patriæ, hostis
ergo Vorstius Ecclesiæ; illis studium & votum patriæ tol-
lere libertatem, ergo Vorstio veritatem. Nec enim video
qua alia re comparari possit, ut illis par esse non possit. Bene-
ficium enim nobis esse à rege aut pontifice dicere cum non
possis, maleficium à Vorstio esse consequenter fateris. Desine
tandem, suadeo, Vorstium defendere; ut desinas te cum
Vorstio confundere.

GROTIUS. *Quod si optimi regis in nos beneficia commemorari
debuerunt, cur ea præterit que præcipua sunt.*

Ex patrono repente factus *παίδεως*, Sibrandum prius arguis
de male collato cum regina rege, post instruis à quibus rebus
& quomodo prædicandus: quod non ut gratiam in eas credo
factum. nec enim tanti hominem facis, sed ut stupidum ali-
quem & indoctum esse probes: in vanum tamen, notior n.
est quam ut hoc persuadeas. Unum hoc enumerat & maxi-
mum beneficium, quia in rem faciebat, nec enim illi *παρηγο-
ρήσεν* mens erat: noverat etiam, quam tu non, minus regis in
nos & patriam beneficia, animi ingeniiq; dotes illi perspectæ
satis, nec verba defuere, potuit *ενομήσεν* sed noluit. Quod
tu sane non feliciter facis quam Vorstium defendis, cum &
plurima omittas, nec præcipua ponas. Inter beneficia nume-
ras & quidem præcipua, quod filij sui baptismo testes adhi-
buerit Ordines: quod ego acceptum beneficium magis quam
datum puto. *Laudas quod ingenium mite, quod eruditum, cur*

æquitatem, magnanimitatem quæ in rege, cur, & hoc inprimis, Pietatem quæ Christiani regis unicum & verum ornamentum, tu qui Pietatis vindex es, non ponis? laudas quod non ad sola Calvini & Bezæ nomina stupeat. Hoc ne tantum ut inter regias ponatur laudes? aliquid majus dixisses, si neq; ad solius Pauli, organi illius electi & in tertio cælo *ἀπόστολος* edocti, nomen stupere diceres: illud quod dicis vulgare & plebejum est non regium. Stupet tamen scio rex ad Calvini & Bezæ nomen, ob magnam in utroque eruditionem & majorem eruditione Pietatem; quos tu, non rex, hic tacite condemnas, nullam ob causam aliam, quam quod Harminianum errorem aperte damnant. Nihilo dignior rege laus, *quod græcos latinisque patres ferociter non contemnat, ad Ecclesiam veterem oculos reflectat, & nuperis quibusdam magistris fidem suam non gratificetur.* Illa verior regis pij laus, quod solos illos patrum patres græcos, Apostolos scilicet, pro regula habeat & Canone, ad quem & illos quos dicis græcos latinisque, veteremque Ecclesiam, novosque tuos magistris examinet.

GROTIUS. *Dixisset ita studiosum pacis esse Ecclesiastica, ut æquo animo ferat dissensiones, dum salva manent quæ semper ubique tradita sunt & credita.*

Dixisses tu ad regis encomium, ita studiosum esse Pietatis & veritatis, ut æquo animo non ferat errores, qui evertunt ea quæ in vera Christi Ecclesia juxta Dei verbum tradita sunt & credita. Diceres illum ex pravisa fide aut operibus prædestinationem non admittere, electos semel à Deo & sanctificatos excidere unquam posse, negare: resistibilem spiritus sancti gratiam in salvandis hominibus blasphemiam esse, & similia quæ nunc à novis tuis magistris, contra ea quæ hæcenus in Ecclesia nostra tradita sunt & credita introducuntur.

GROTIUS. *Cur gratias non egit, quod nuper ad sedandos Ecclesia nostra motus fidele consilium dedit.*

Gratias quantas potuit maximas egit Sibrandus & agit scio
Britanniæ

Britanniæ regi, quod pio & Ecclesiis nostris saluberrimo consilio, Ordines nostros, jam fere per fraudem inductos, conuper adduxerit, ut Vorstium quorundam summystarum suorum suasu ad veritatis perniciem & Ecclesiæ vocatum, in publicum professionis munus inaugurari passi non sint: quod de Vorstio veram sententiam dixerit, & hæreticum pronuntiavit. Hæc si enumerasses, *ὄνομαστὴς* dici posses melior quam patronus.

GROTIUS. *Legerat ipse rex capita defensa à remonstrantibus.* Adderes, judicavit, probavit, hoc pondus habet & causam tuam promovet, illud quod dicis nihilo plus ad rem facit, quam illud quod supra, *venerunt ex Britannia literæ.* Nec enim credo velle te concludere quia rex legit ideo probavit. Et aliorum hæreticorum scripta dubio procul legit & capita, qui plurima legit, nec probat tamen sed condemnat. condemnasse ego, quia taces, dicam potius tuorum remonstrantium capita, non quia à Calvino aut Sibrando dissident, parum enim hoc est, sed quia à Paulo quod crimen est.

GROTIUS. *Quid Calvinus doceat noverat satis.* Nec ideo tamen aut improbat aut damnat, & quid tui remonstrantes doceant, quid defendant rex novit, nec probat tamen: verba das nihil probas. nisi forte & hoc inter regias laudes numeras, quod remonstrantium capita legerit, quod Calvinus quæ sentiat non ignoret: ut sic aut laboriosum doceas esse regem, aut ingeniosum, qui & plurima legat & lecta intelligat.

GROTIUS. *Aut rex autoritate publica opus esse, ut ne ad plebem ferantur ista certamina.*

Imo potius ne orientur certamina curare debebat autoritas publica, manum & linguam istorum novorum magistrorum tuorum inhibere, si non autoritas poterat, pœna debebat. Nec enim recepta & probata Ecclesiæ doctrina impugnari ab illis non monstrantibus sed monstris poterat, ut non plebem
etiam

etiam certamen hoc peteret aut læderet : nisi lupo venienti
oves à Pastoribus exponi velles, sic enim si non ovium la-
niena; certamen tamen tolli potuisset & pugna,

GROTIUS. *Addit rationem, non disfidere has sententias quia
cum fidei veritate & animarum salute consistant.*

Optima ratio, & quæ tuos illos novos magistros non impro-
bat modo sed damnat. Si enim recepta & probata Ecclesiæ
doctrina nec à fidei veritate discrepabat, & animarum salu-
tem non tollebat, à caritate Christiana, & per consequens
etiam à veritate discrepant, qui novi aliquid, esto nihil falsi,
in Ecclesiam introducunt, unde aut veritas magis non illu-
stratur, aut Ecclesia scinditur : aut hæretici sunt aut φιλόνομοι.

GROTIUS. *De hoc consilio altum in Sibrando silentium.*

Nec mirum, neque enim Sibrando scopus aut votum omnia
regis bene consulta & dicta enumerare; nec ad rem quam
tractat facit. de te verius dixero, altum in tuo libro silentium
de verissima regis contra Vorstium sententia, quam expo-
suisse te decebat potius, & in rem erat, quam literas ex Bri-
tannia venisse dicere.

GROTIUS. *Nec difficile est causam conjectare.*

Tibi inprimis homini tam oculato & lynceo, reliquis non
item. Sed conjectare nihil opus, silentij enim hujus jam di-
cta causa, quod scilicet extra rem esset, & causam Vorstia-
nam non tangeret. Tui autem silentij causam non conjectare
sed dicere cuivis facile est, scilicet conscientiam esse non
ignorantiam : puduit enim te dicere regis sententiam, qua
sciebas damnari causam Vorstianam, aliter enim si esset, &
Vorstium rex probasset, buccinares certum est non diceres.

GROTIUS. *Si ille quod sentit proferre auderet, non debuisset
regem de prophetijs judicare diceret.*

Conjectas tantum rem non tangis, nec enim tuis magistris
similis est, qui quod sentiunt proferre non audent. Non
verbis solum sed scripto etiam quid sentiat satis dixit : nec
enim

enim metuit regis offensam, qui ne, Deum offendant metuit,
Nec ipse rex de prophetiis judicare regii juris esse dixerit, ne
contradicat Apostolo. Nec judicat qui consulit; consilium
enim est, ut ipse ais, non sententia judicialis. Et monere se
dixit rex, tua sunt verba, non sententiam ferre.

GROTIUS. *Nam ex Sibrandi decretis rex propheta esse non
potest.*

Et verum est, non quidem Sibrandinis sed divinis, nec enim
præter unum regem prophetam légo fuisse, & hoc non jure
regio, sed speciali Dei dono. Harminianis scio decretis, non
divinis, rex non Britannia modo, sed omnis, de jure non
facto solum, propheta non esse potest, sed debet, ut de hæ-
resi judicium ferat & sententiam, non audiat. Ieporam tamen
judicavit Aaron non Moses.

GROTIUS. *Nisi forte Ecclesia Londinensis illum præbyterum
annalem fecerit.*

Siprav es, sed ridendus, nec enim vel hic quadrat iste jocus, vel
te qui pietatem vindicas decet. Annales præbyteri quod
sint, Ordinis est Ecclesiæ, non legis divinæ, ut sint tamen, non
Ordinis tantum est, sed præcepti & facti. Habuit hos prima
sub Apostolis instituta Ecclesia, media per pios reges con-
servata non neglexit, ultima nunc & restaurata cur damnabit;
novi tui magistri, Apostolis fortè prudentiores, pro anna-
libus perennales dabunt, non præbyteros, sed neophytos.

GROTIUS. *Atqui laudabat regem Sibrandus quod Vorstium
damnasset.*

Nec propterea prophetam esse dixit aut esse debere, nec
enim rex judicando, scit enim in alienum servum juris ha-
bere nihil, aut Ordinibus præscribendo, sed malum & hære-
sin rejiciendo & improbando, Vorstium damnavit, quid de
Vorstio sentiret exposuit, Ordines ne deciperentur admo-
nuit, pietatem tantum ostendit, & in nos affectum, non au-
thoritatem. Bene interim se habet, quod à rege damnatum

Vorstium fateris, non laudatum, Hinc enim quis intelliget
facile, non fuisse ignorantiae sed conscientiae, quod venisse
diceres tantum literas ex Britannia, quid vero exponeret,
taceres. Sciebas enim exposita regis de Vorstio sententia, da-
mnandum te, qui, quem rex tantus improbat, defenderes ta-
men & laudares.

GROTIUS. *Ita in Vorstium rex propheta est, pro remonstran-
tibus non est.*

Non Sibrandus, sed tu vere casselius, In Vorstium enim tibi
rex propheta non est, quem pro remonstrantibus prophetam
putas. Hoc enim si esset, quem rex damnat non defenderes
aut laudares, sed regis & prophetae sententiae subscriberes, non
contradiceres: quod cum facis, & prophetas te contemnere,
& δόξας βλασφημῶν certum est.

GROTIUS. *Ita solent isti homines, auctoritatem regum & in
liberaliter predicare.*

Et merito, praecipuum enim est non arbitrii, non tamen ut
quod regum non est, regibus tribuant. Prophetam esse, mini-
sterij est, regem, dominum, ille paret, hic imperat, ille instruit,
hic regit, alius hic, alius ille, illius quod est, hujus non est,
ut, qui prophetiam neget regem, juri tamen regio nihil dero-
get. Prophetam enim esse si juris esset, qui non est, rex esse
non posset.

GROTIUS. *Ridiculus est professor, cum omnia ista ad causam
Vorstianam refert.*

Sit sane ridiculus, modo ne εἰπῶν, qui pietatem aut rideat, aut
deserat. Nec ad unam causam Vorstianam refert, quidquid
principibus, hanc euntibus, honoris aut laetitiae exhibitum, sed
magnam imo praecipuam putat: nec propterea Vorstiana
magni facit, sed regem, qui ad alia quam plurima hoc etiam
tanquam praecipuum addidit beneficium, quod curam, quam
habet etiam de nobis, caritatis Christianae verissimum si-
gnum, quae aliorum quae sunt, curat potius quam quae sua, ha-

relin

Vesin Vorstij damnando, & ne deciperemur admonendo, demonstravit. Nec parvi facit multa beneficia, qui præcipuum agnoscit: aut Vorstium magni, qui damnatum à rege esse Vorstium pro magno habet. Sic enim dixeris hostem magni facere, non victorem, qui pro magno habet, quod hostem prostratum videt.

GROTIUS. *Quid quod in honorandis principibus non postremi fuere, quos orthodoxos Sibrandus non agnoscit.*

Qui primi aut postremi fuerint in honorandis principibus, orthodoxi an $\nu\epsilon\omega\delta\delta\omicron\zeta\omicron\iota$, ut ad rem facit nihil, sic nec Sibrandus dicit: causam tantum ostendit, cur hoc factum non ab omnibus, sed à pietatis Zelotis: beneficium scilicet illud regis & maximum & recens, quo & pietatem suam universo orbi de hæretico judicando & damnando, & caritatem, anxie de nobis cogitando & monendo, demonstravit. Quos autem hic pro orthodoxis non agnoscat Sibrandus, nescio, illud scio, Vorstium, si non Socinistam $\nu\epsilon\omega\delta\delta\omicron\zeta\omicron\nu$ tamen esse, & qui cum aut pro Vorstio sunt, orthodoxos dici non posse.

GROTIUS. *Videamus quid Ordines in tractanda Vorstij causa tantopere peccarint.*

Hoc potius videres, quantum illi Vorstij symmystæ, & novi tui magistri peccarint in Ecclesiâ & patriam, cum non ignari latentis veneni, curatoribus tamen autores fuere & suatores vocandi Vorstii. Hoc enim nescivisse, dicere non potes, cum hominem jam detectum, non laudant solum, sed tuentur & sequuntur.

GROTIUS. *Hoc innuit, amplius querendum non esse, postquam rex & Theologi aliqui de Vorstio iam pronuntiaverint.*

Conjectas, sed erras, nec enim innuit, sed aperte dicit, cupere se & rogare ut Ordines causam audiant, sententiam ferant, hominem absolvant, aut damnent, & sic aut veritatem comprobent, aut suspicionem de reo ex animis hominum tollant. Scit enim, regem & Theologos contra Vorstium quidem

pronuntiasse sententiam improbando, quod cuius licet, sed Ordines pronuntiare debere, vel puniendo, vel absolvendo, ipsorum enim nunc subditus est Vorstius. Illi sententiam suam dicere possunt, ultra nihil, Ordines etiam jus possunt dicere, & pronuntiatum poenâ confirmare. Ut frustra dicas, regem nolle ut quærat amplius, & extra territorium jus dicere, cum nemo hoc somniarit aut dixerit. Scit enim caritatis tantum esse rex quod fecit, autoritatis esse quod Ordines.

GROTIUS. *Ergo ab ijs quorum subditus iam erat Vorstius causa fuit cognoscenda.*

Fuit sane, imo iudicatam jam dudum oportuit: nocet enim dilatio. nec simpliciter cognosci causam voluit Sibrandus, sed suavitè, honestè potius dimittendum hominem, qui jam certissimis notis hæreseos non suspectus modo, sed infectus à doctissimis probaretur, quàm aperto iudicio vincendum, & ut reum aliquem puniendum.

GROTIUS. *Perbella ratio, citra cognitionem dimitti debuit, quia deceperat Ordines.*

Imo dimittere hoc non erat, sed unde venerat remittere. Qui enim ad munus assumi non potuit, à munere dimitti non debuit, sed remitti. Ad munus autem assumi non potuisse tua lex probat. *Honores reus ne petito.* Reus fuit, priusquam assumptus, assumi ergo non potuit aut debuit: qui assumi non potuit, assumtus dici non debet: non assumptum autem, etiam non indicta causa, remittere, nec damnatio est, nec pœna. Assumptum si dixeris, aut tuam legem damnes, aut legis reos, qui assumpserunt, dicas oportet.

GROTIUS. *Si iura Sibrandus non didicit, illam tamen auream sententiam ignorare non debuit.*

Iura credo non didicit Iustiniani, Christi tamen te melius caller, nec aurea sententia illi ignota: quæ ad rem quam agis facit nihil. Cum enim Sibrandus dimitti hominem suadet, judicati non cupit. Nec enim ita vel *ad reum* est, vel *ad iudicem*, ut à iudice

ut à iudice damnatum cupiat, quem publicè auditum non velit. Remittere, hoc est potius quam dimittere. iudicatus enim à iudice, non dimitti tantum, sed puniri etiam debebat, ut qui reus non esset, quod assumptus, cui sola dimissio sufficeret in pœnam, sed quod hæreticus, qui puniri non sola dimissione, sed nota inuri, vel infamiæ, vel alia debuit.

GROTIUS. *Sed urget auditum satis esse, cuius libri extant.*

Verum est, sed ut tacitè à vocante remittatur, non ut à iudice publicè puniatur, illud petit Sibrandus, hoc non urget: quod omnino non est turbanda societas humana, illud potius turbat, si non societatem, tamè, Ecclesiam cum hæreticos absolvitur & innocens habetur, qui, quam verbo negat hæresin, scripto tradit & probat: hic talis, an non, vel te iudice, auditus satis, ut à quovis damnetur & à vocante remittatur? Sed hæresin scripto docere negabis, & hoc an faciat, cognoscendum dices. Rectè, sed cur non cognoscitur? tu qui patronus es, cur ut cognoscatur non urges? ut clientem tuum suspicione aliquando liberes, Offert se Sibrandus, erunt & alij, sistatur reus, causa audiatur, iudicetur: non longè est reus, & actor præfens. Quam diu non sistitur reus, & actor urget, condemnatur, non quidem à iudice, sed à populo, ut in vanum adducas, & leges, quæ neminem nisi in jus vocatum damnari patiuntur, & sententias prudentum, quia Sibrandum non tangunt, qui remitti, non puniri hominem cupit & suadet.

GROTIUS. *At quid est irridere Ordines, quid est ἀρχοντας, τὸ λαὸν εἶπεν ἡγεκῶς, si hoc non est.*

Irridere credo vis tu, & naso suspendere omnes, cum putas persuasurum te, Sibrandum ἡγεκῶς εἶπεν ἀρχοντας, cum hoc in Vorstio notat & damnat. Quod tamen si feceris, & ego τὸ δόξας βλασφημῆν probavero, cum qui hoc faciunt damnas. Imo leges ipsas ἡγεκῶς εἶπεν, quæ tales non arguunt modo, sed puniunt. Et quis nocentem redarguet aut puniet, si hoc facere secundum tuam jurisprudētiam est nocentem esse? Vis fortè

Sibrandum *κακῶς ἐρεῖν*, video quod Ordines decipi posse, aut deceptos putet, ut quod imperitam arguat, aut imprudentiam. Quasi hoc vel auctoritatem Ordinum minuat, aut jus quod habent in subditos: aut quasi Ordines etiā Theologiæ periti esse debeant, ut ille, qui hoc negat, Ordinibus maledicat. Fortè etiam tibi, qui medicæ rei non peritos dixerit, aut rusticæ, maledicus in Ordines erit. Quod decepti sunt, non tam imperitiæ, quam sinceritatis est in Ordinibus, in tuo cliente fraudis & subtilitatis. Et sanè mirè oculatum oportet esse, qui diabolum angelica facie indutum cognoscat & voce *κακῶς* tamen *ἐρεῖν* fateor, sed te, hujus sceleris Sibrandum cum tam iniquè arguis. Nec enim Ordines soli, quod fortè putas *τῶ λαῷ ἀρχόντες*, sed etiam quos Deus præfecit Ecclesiæ, quos calumniari nihil est aliud, quam maledicere.

GROTIUS. *De sine patriæ conventibus contemtim sentiat oportet, qui vicinos, quos non novit ita fastidit.*

Fastidium hoc non est, sed veritatis studium, quod non unī, non paucis, negotium tum arduum atque subtile committi vult & tractari. Scit enim arte magis nocere diabolus & fraude, quam robore. Imo nec sibi consulit soli, sed vel exteros admitti rogat & optat: nec fastidit ideo vel se vel nostros. Nec omnes qui profitentur, Theologos esse scit, laicis etiam omnem scientiam non adimit, illos tales propterea querit, quos esse quod profitentur constat, hos audire, audita judicare, & sententiam ferre cupit.

GROTIUS. *Adfuerunt sex tuarum partium, sex etiam alij quorum rationes expendi potuerunt.*

Ita causam Vorstii actam & auditam hic describis, quasi absolutus sit, à iudice reus non damnatus, & pro Vorstio contra Sibrandum pronuntiatum. Quod si est, cur Academiam nostram non ornat? cur publicè non docet? sed non solum Academicus non est, ut etiam civis esse non possit, quod damnatum tacitè potius, quàm absolutum notat.

GROTIUS.

GROTIUS. *Suspectos fuisse hos sex postremos dices, quia de præ-
destinatione idem cum Vorstio sentiebant.*

Pergis absolvere Vorstium verbo, quem iudex damnavit facto. Cur enim suspectos hos dicat Sibrandus; si causa non cecidit, sed vicit? hoc enim solet post auditam causam & actam, non secundum sed contra quos lis data est & sententia, ut iudicem rejiciant, ante si fiat nihil refert, *audita est causa*, inquis supra, *presentibus sex Theologis*, quos Sibrandus si rejicit, damnatum judicas, & Vorstium absolutum. Sed frustra, nunquam enim dicendo tantum efficies, ut non damnatum omnes Vorstium credant, quem secretum non elegisse sed claudi secreto sciunt & vident.

GROTIUS. *Addam, tanta vos diligentia ex omni orbe præiudicia aucupatos, ut vix qui (quam esset, qui se iudicio integrum servasset.*

Ne cui extero causa hæc cognoscenda detur, & iudicanda, aut exteri sententia jam data recipiatur, hoc dicis. Scis enim clientem tuum non evalurum pœnam, si exteri dixerint sententiam. Interim quid est ἀρχοντες εἶπεν κακῶς si hoc non est? totum orbem qui damnat, ἀρχοντες qui in orbe, an non βλασφημῶν? æquitatem & sinceritatem ἀρχούσι qui adimit, quod facit, qui præiudicii & iniquitatis maculam illis inurit, quomodo non κακῶς εἶπεν? regis non magni modo, sed, quod pondus habet in hac causa, eruditi jam datam de Vorstio sententiam præiudicium qui vocas, & ipsum non integrum: quomodo non tu sceleris reus, cuius Sibrandum supra arguis? immemor sanè es, plurimis reis nihil magis obfuisse & eos damnasse, quam patrōni non tam ignorantiam, quam impudentiam.

GROTIUS. *Quid est quod actum cuperes & nolles docere Vorstium?* Chamælion es, ita, quem supra paulò absolutum dicere volebas, ut non damnatum, hic non reum modo sed damnatum iudicas. nec enim gratia est, quam urget Sibrandus, sed pœna, habet Sibrandus quod vult ais, sed pœnam urget, pœna ergo
G 4 est quod

est, quod publice non docet Vorstius, pœna est quod in ore
juventutis non versatur, & si pœna, non reus modo sed no-
cens est, nec enim nisi nocens punitur non reus.

GROTIUS. *Sed extra Hollandiam in alias oras deportatum
velles, quo crimine? hæresens scilicet, da igitur in
republica nostra exemplum, da legem.*

Miram & novam jurisprudentiam, ut nocens ea pœna non
puniatur, cujus lex non est, aut exemplum. Scelerum omnium
pœnam quid est ex orbe tollere & iudices omnes condemna-
re, si hoc non est? quis enim nescit, leges non ante sed post
commissa scelere datas & pœnam inflictam. Primus ergo ho-
micida, & quivis alius maleficus absolvi potuit & debuit,
quia pœnæ lex non esset aut exemplum. Parricida ille, qui
patriæ nostræ parentem potius quam principem, Auræcum,
per infandum scelus nobis ante fata abstulit, hac tua ju-
risprudentia si doctus fuisset puniri non potuisset. Iudicium
enim diceret, lex non est, exemplum non extat ut qui prin-
cipem tollat sic pereat. imo ubi lex, ubi exemplum, ut voca-
tus ad professionem publicæ non doceat, in urbe non habi-
tet, secretum perat. Iterum dico, desine Vorstium defendere,
ut desinas te cum Vorstio confundere.

GROTIUS. *Plena est frisia Anabaptistis, hos si potes expelle.*
Si vitæ causas ira defendis, ut conscientie, malim ego te ad-
versarium, quam patronum. Hærescos enim damnas aperte
Vorstium, quem cum Anabaptistis comparas quos hæreti-
cos esse scio non negas. Quid enim his verbis concludis
aliud, quam non ejiciendum esse Vorstium, non ita apertum
hæreticum, cum Anabaptistarum manifestis hæreticis, plena
sit Frisia. Malè tamen, nec enim melior videris logicus, quam
patronus, qui à Sibrando ad Ordines, à facto ad legem, ab
uno ad plurimos concludis. Nec enim sequitur, si Sibrandus
non possit Frisia ejicere Anabaptistas, ergo Ordines non po-
terunt Vorstium Hollandia. Ordines possunt quod Sibran-
dus non

us non potest, gladium enim non habet ut possit, autorita-
tem ut debeat ex Ecclesia pellere potest non patria, non qui-
dem gladio sed verbo. Nec sequitur, si non possit, ergo Or-
dines non debent, quod tu vis, posse enim non dubitas, sed
ejiciendum per leges negas. Nec sequitur, plurimi ejici non
possunt sine discrimine, ergo unus non potest vel ejici vel
non admitti sine crimine. verbo potius dicas quam per am-
bages, quod sentis, admittendos esse omnes hæreticos in pa-
triam, quia admissi jam ejici non possunt è patria.

GROTIUS. *Non dico semper iuranti credendam de animo suo,
sed in re dubia fieri potest aut solet.*

Nec Vorstio ergo quia juravit credendum de animo suo, nisi
privilegium aliquod habeat, quod illum à communi condi-
tione eximat. Nec dubia res est, hæreseos enim accusatur, non
quam habet in animo, sed quam apertè protulit in libro:
qui quamdiu manet & extat, quoties jurabit, pejerabit.

GROTIUS. *Quædam autem quæ Vorstio obiiciuntur parum certa
esse, ne tu quidem negabis.*

Quædam ergo quæ Vorstio obiiciuntur certissima sunt, nec
dubia esse possunt. Si enim quædam sunt parum certa, ut ais,
esse quæ certissima sunt fatearis: & cur adhuc causa pendet?
cur non judicatur, cum ipse patronus verissima esse fateatur,
de quibus reus accusatur? quem ipse damnat patronus, iudex
orthodoxus cur hæreticum non damnet? sed damnatum sa-
tis vis esse, & punitum, quod Episcopatu dimotus à iudice,
quem & orthodoxiam abundè satis hoc facto monstrasse
putas, quod, etsi non in insulam, in secretum tamen clausus:
nimium putas, & hoc ne fiat urges, extra imperij fines ho-
minem ablegare. *Nec enim ais in nostra republica lex vel exem-
plum.* Ejiciendus itaque non est? imo eo magis, si enim lex
non est, quæ prohibet lex quoque non est: lege autem quod
non prohibitum, hoc iudici licitum. Nec enim contra legem
peccat, qui legem non violat: violare autem legem, quæ non
est, quis

est, quis potest ut meritis sine lege finibus ejici debent, quem lex non jubet in finibus ut maneat. Omitto quod iudex ipse viva sit lex, qui legem ponit & tollit. Nec etiam omnes quos iudex, & lex punit, hic & pœnam mitigat & aggravat, punit quem lex non absolvit. Et sic ejiciatur per iudicem, quem ejici non debere putas per legem. Exemplum cum pœus, & te damnas & Ordines: te, quod factum hoc aut nescis, aut negas. Ostrorodii nomen si nosti, exemplum protulisti. Ordines damnas; qui hunc sine lege, sine exemplo, una cum socio & libris, non in secretum intra imperii fines clauserunt, sed quam longissimè à finibus abesse jusserunt.

GROTIUS. *Postremo illud quoque addam, non quod necesse sit, sed ut apertior sit calumnia.*

Non Sibrandi, sed tua, quoties enim Ordinum mentionem facis, toties calumnias fundis: nusquam enim vel ἑρεπόδοζοι, vel Sociniani à Sibrando nec re nec verbo dicuntur. Vorstius tantum tuus, & qui tui cum Vorstio, non ἑρεπόδοζοι solum sed ἡερέδοζοι etiam dicuntur & damnantur.

GROTIUS. *Neque Constantinus orthodoxus esse desit, cum Arium his verbis dimisit, si fides tua recta est, bene intrasti, si impia, & intrasti, iudicet te Deus.*

His verbis Constantinus dimisit quidem Arium sed non absolvit, imo damnavit, cum iudicem Deum super illum invocavit. Quod utinam & nostri Constantini faciant, ut talibus verbis Vorstium dimittant, & orthodoxiam suam demontrent & fidem.

GROTIUS. *Sed nunc Vorstij causà exeamus.*


Imo jamdudum hoc factum, quin non ingressum te oportuit. Sic enim & famam jam ante partam apud pios servasses integram, nec qualis esses animo, demonstrasses hoc scripto. nec enim par est ratio, miserum aliquè defendere in iudicio, & hæreticum, illum defendere potest patronus ex officio, aut imperio, aut studio, nec cum illo sentire tamen: hæreticum autem


autem defendere, nisi cum illo sentiat, nemo est qui fieri posse credat.

GROTIUS. *Quam quisquis rectè expenderit, inveniet nullam hæresim ab Ordinibus probatam.*

Magnum fecisses, & pietatem vindicasses, si nullam hæresim à Vorstio prolaram, tam multis evicisses: hoc facere debebas non illud quod dicis, ab Ordinibus scilicet nullam hæresim probatam, hac enim de re nulla quæstio, actio nulla est instituta. Oleum fundis, & operâ perdis hac in re, cum operam ponis. Nec arduum est, aut magnum, defendere quem nemo accusât. verè te patronum non causarum modo, sed fidei crederem, si Vorstium accusatum, imo certissimis argumentis hæresios convictum ita defenderes ut purgares: quem tantum abest ut purges, ut sapius non dicam volens, incius tamen ipse reum facias & damnes. Sed esto, fuerit actio impietatis contra Ordines, ut necesse habueris tu, cujus hoc munus est, Ordinum pietatem vindicare, hac evictâ, & Ordinibus absolutis, cur non taces? cur pergis defendere, quæ impietatem Ordinibus non impingunt? maior adhuc scripti tui pars restat, quæ ordinum Pietatem nec tangit nec urget, cui nisi alium inscribas titulum, speciosè, non tamen verè libro titulus, Pietas, datur, sed ornare voluisti titulo, quod non potuisti scripto: hæc autem nostra quisquis iudicio expenderit, non affectu, inveniet nec Vorstium purgatum, nec Sibrandum cuius arguitur, convictum.

F I N I S.





e.3168°